6
4-C
26

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
17 L
16

6 4 C 26

Digitized by Google

XXXVI. 418. 4.
BB. 9.

SYMBOLARUM
DECAS ROMANA.

Digitized by Google

SYMBOLAE
LITTERARIAE
OPUSCULA VARIA

PHILOLOGICA SCIENTIFICA ANTIQUARIA
SIGNA LAPIDES NUMISMATA GEMMAS
ET MONUMENTA MEDII AEVI
NUNC PRIMUM EDITA
COMPLECTENTES

VOLVMEN QVARTVM



BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

ROMAE CIƆ. IƆ. CC. LII.
EX TYPOGRAPHIO PALLADIS

SUMTIBUS NICOLAI ET MARCI PALEARINI
PRAESIDUM PERMISSU.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINO

D. CÆSARI ALBERICO LUCINI

PATRITIO MEDIOLANENSI

PROTONOTARIO APOSTOLICO DE NUMERO PARTICIPANTIUM

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

NICOLAUS, ET MARCUS PALEARINI S. P. D.

VIRTUTEM in animis hominum mirabiles ſui amores excitare, ILLUSTRISSIME JUVENIS, non ignoras. Quamobrem nihil mirum ſi ubi primum

& ingenii tui lumen, & mores, & præclara vidimus ſtudia, voluntas noſtra in Tui inclinaverit obſervantiam. Nam generis tui claritatem, quæ incitamento, & opes, quæ inſtrumento tibi ſunt exercendæ virtutis, omittimus, cùm iis longe præſtantiora bona nos in tui rapiant admirationem; ſubactum optimis artibus, & philoſophiæ ſtudiis ingenium, & quæ inde profluunt, in morum ſuavitate mira gravitas, in ampla fortuna temperata quædam cum ſplendore vitæ, victuſque ſeveritas, acrioreſque in dies ad laudem impetus, & veræ ſolidæque gloriæ cupiditas. Itaque cum nihil optaremus magis, quam ut egregias

gias

gias virtutes tuas quantopere colimus publico quodam teſtimonio declararemus, Quartum Symbolarum Volumen a clar. Gorio collectum noſtris ſumtibus vulgatum tuo nomini inſcriptum, ſtatuimus emittendum. Quem quidem librum Tibi Juriſprudentiæ nunc temporis operam danti, quod egregii Juriſconſulti pulcherrimum Opuſculum continet, cum iſtis ſtudiis magna affinitate conjunctum, idcirco gratiſſimum tibi futurum confidimus. Cùm autem latiorem ingreſſus fueris campum, ubi commodius tua poſſit virtus excurrere, quod propediem fore intelleximus, dabimus profecto operam, ut pa-

palam tibi fiat quantopere tibi faveamus animis, omnibuſque ſtudiis te proſequamur. Vale.

Dab. Rom. idib. Juniis MDCCLII.

PRÆ-

Digitized by Google

PRAEFATIO

ANT. FRANCISCI GORI

TRIUMVIRIS *in Litteraria Republica magni nominis, in Piſana Academia celeberrimis Profeſſoribus,* GRANDIO, VALSECHIO, TANUCCIO, *qui Hiſtoriam veterum* PANDECTARUM *egregiis Commentariis inluſtrarunt, en addo,* BENEVOLE LECTOR, *quartum Virum, doctrina & probitate præſtantiſſimum, Leopoldum Andream* GUADAGNIUM *I. C. concivem meum, in eadem Piſana Academia Anteceſſorem meritiſſimum, qui accurato judicio, atque eximia eruditione* DE FLORENTINO PANDECTARUM EXEMPLARI *diſſeruit; iſtudque non eſſe* JUSTINIANI AUGUSTI *archetypum, ab eo in Italiam miſſum anno* IↃ. XXX. VIII. *vel paullo poſt; at ex eo, quod* VI. *vel* VII. *ſæculo Ravennæ exaratum cenſet, Exemplaria omnia tum ſcripta, tum edita manaſſe, ejuſdemque lectionem omnibus præferendam eſſe, non paucorum egregiorum Scriptorum contrariis opinationibus* ex-

expenſis rejectiſque, invictis argumentis ac perſpicuis rationibus luculenter oſtendit. Hanc igitur ſucci plenam eruditiſſimam Diſſertationem, quæ mea cura nunc primum in lucem prodit, rogante Ferrante CAPPONIO, *Senatore Florentino graviſſimo, nuper celeri morte nobis erepto, idem celeberrimus Profeſſor confecit, a quo ego humaniſſime accepi, quum adſidue id non ſolum optarem, verum etiam flagrantiſſime poſtularem; ſtatimque acceptam Litterario Orbi dono dare decrevi, ut inirem doctorum hominum gratiam, & ſpectatiſſimi Auctoris, qui mihi morum honeſtate, multiſque benevolentiæ officiis devinctiſſimus eſt, amorem magis magiſque conciliarem; nam, ut ipſe fatetur, mea opera pridie nonas Auguſti anno* MDCCXXXII. *præſtantiſſimum iſtud, ut Jac. Gothofredus ait, Juriſprudentiæ ancile conſpexit, ac plura tunc in ſuis adverſariis adnotavit. Multum temporis profecto eſt ex quo cupiebam, ut hæ omnes Clarorum Virorum lucubrationes una cum celeberrimi Henrici* BRENCMANNI *Hiſtoria Pandectarum, ejuſque perpetuis curis & obſervationibus in novo Theſauro, qui Amſtelædami proponebatur, feliciter proferrentur: qua de cauſa ad amicum meum optimum Inluſtrem Virum Jac. Phil.* D' ORVILLE *eas omnes, quæ in lucem prodierant, & poſtremo etiam, eodem urgente, ſecundas clariſſimi Abbatis Grandii curas miſeram, quas idem Grandius mihi*

ani-

animo lubens in hunc finem tradiderat. Perperam vero me feciſſe fateor, qui ea ipſa autographa, non vero, quod faciundum erat, apographa eidem D' ORVILLE *tradidi; nam data fide ſcripſerat, ſe egregie curaturum, ut quam primum in lucem prodirent, curante quodam amico ſuo optimo, quem mihi datis litteris numquam nominavit; qui forſitan ille ipſe eſt, qui inferius pag.* 140. *a Cl. Guadagnio laudatur, nempe Georgius Chriſtianus* GABAVERUS *in Gottingenſi Academia præclarus juris profeſſor, quem vellem ut eximium hunc Pandectarum Theſaurum, tum ſuis, tum laudatorum virorum commentationibus refertiſſimum nobis quantocius traderet. Quod vero me nunc angit maxime eſt recordatio immaturi obitus ejuſdem ornatiſſimi D' Orville, qui meam ſpem omnem fruſtravit. Ea etiam de cauſſa, ut alias Symbolas conferrem ad ornandum tam inſigne & pretioſum Pandectarum Syntagma, ſcripta omnia autographa, quæ Antonius Maria* SALVINIUS *ὁ πάνυ Præceptor meus reliquit, poſt obitum ejus fratris Salvini Salvinii Canonici Florentini, qui nuper contigit, una quoque cum ejuſdem eruditis Scriptis, meis ſumtibus mihi comparavi; Nam A. M. Salvinium multa diligentiſſimo Brencmanno tradidiſſe, non pauca quoque ad Pandectarum Codicem inluſtrandum in ſuis Adverſariis reliquiſſe, audieram; præter ea, quæ*

ab

ab Inl. Guadagnio in hac abſolutiſſima Diſſertatione loco ſuperius declarato memorantur.

Hac vero ætate, qua complures litteratiſſimi homines in explicandis dilucidandiſque Medii Ævi antiquitatibus, moribus, legibus, inſtitutis., cum ſacris tum profanis, ſedulam navant operam, & latentes ſequiorum temporum eruditis divitias mira eruunt ſolertia, non abs re viſum eſt adjicere clariſſimi erudıtiſſimique Viri Johannis Joſephi LIRUTI *de Villafredda Diſſertationem* De Servis Medii Ævi in Foro Julii, *quam ipſe propter egregia ſua in litterariam Remp. merita, editis aliis præclari ingenii ſui monimentis illuſtris, me poſcente, inter Socios Academiæ Columbariæ Florentinæ adlectus, iiſdem Sociis honoris & benevolentiæ cauſſa dedicavit. Complura notatu digna, atque etiam inedita, a Clariſſ. Muratorio propter rerum copiam vel relicta, vel non perſpicue ac ſatis luculenter expenſa, e tenebris diligentiſſime eruit, & cumulatiſſime inluſtrat Italicas veteres conſuetudines, leges tum Langobardorum, tum Rotharis Regis, ac præſertim municipales Forojulienſium, in medium prolatis compluribus monumentis, quæ ab eo nova luce donantur, atque explicantur. Pererudite primum omnes Servorum ſpecies eorumque ſtatus, gradus, conditiones, enumerat, deque iiſdem tractat, nimirum de* Maſſariis, *de* Aldiis, *de* Arimannis *ſive* Hermannis, *& de*

Ser-

Servis de Maſnata, *quos nullo nobilitatis gradu ornatos fuiſſe perſpicue oſtendit; atque in his nova luce & eruditione conluſtrandis de nobilibus Familiis Forojulienſibus agit, deque non paucis Florentinis, qui ardente civili bello Ghibelliniorum & Guelphorum Glemonam migrarunt, atque in his regionibus ſedes ſuas poſuerunt; quarum uberiorem Catalogum nuper accepi a Clariſſimo Viro, Antiquitatum Medii Ævi ſcrutatore atque amplificatore eruditiſſimo, D. Joſeph Binio Abbate, Archipresbytero Glemonenſis Eccleſiæ, Socio Columbario Florentino mihi amiciſſimo, a quo etiam alia multa optimæ frugis accepi in hiſce Symbolis producenda: quo quidem auſpice hanc Diſſertationem ſuam Cl. Lirutus mihi dono dedit. Mox luculenter de* Manumiſſionibus *eorumdem Servorum diſſerit; qui manumiſſi & oblati quibuſdam peculiaribus cærimoniis ad Altare principis Eccleſiæ Aquilejenſis a Dominis ſuis, liberi evadebant, &* Dieſmanni *fiebant viri, hoc eſt* Servi Miniſteriales *Sanctæ Eccleſiæ, ſeu Domus Aquilejenſis, ejus Patriarchæ ſubjecti, ac ſervitium fideliter, & impigre in rebus ad Eccleſiam pertinentibus præſtare tenebantur, liberi quidem, qui & per ſe agere, & teſtari tunc poterant. Nec facile (ſi mihi licet ſacra noſtra cum profanis ritibus comparare) conditione his diſſimiles erant* SERVITORES DEORUM, *qui Fanorum apud Paganos æditui & antiſtiti in religioſis*

gioſis muneribus & ſervitiis parebant; quorum ſingularis ſit mentio in hoc marmore, quod olim in Muſeo Andreinio, nunc vero in meo exſtat.

EX . IMPERIO
GENI . ALOTIANI
EVARISTVS . SERVI
TOR. DEORVM . EX . VI
SO . LIB . AN

Hiſce interim eruditis lucubrationibus, CANDIDE LECTOR, *utere felix, lege, & diu vive.*

QVOD TIBI NON VIS
ALTERI NE FECERIS

IN-

INDEX

OPUSCULORUM

Quæ in hoc Quarto Volumine continentur.

Epiſtola Dedicatoria.

Præfatio Antonii Franc. Gori.

Leopoldi Andreæ Guadagni *Juriſconſulti, & in ill. Academia Piſana Anteceſſoris de Florentino Pandectarum Exemplari, an ſit Imp. Juſtiniani Archetypum, & an ex eo ceteri qui ſuperſunt Pandectarum libri manaverint, Diſſertatio.* pag. 1

Jo. Joſeph Liruti *de Servis medii ævi in Forojulii, Diſſertatio.* 151

APPROVAZIONE

AVendo letti d' ordine del Rmo P. F. Giuſeppe Agoſtino Orſi Maeſtro del Sac. Palazzo gli Opuſcoli che ſi contengono nel Quarto Volume della DECA ROMANA DELLE SIMBOLE LETTERARIE, pubblicate dal celebre Prepoſto Anton Franceſco Gori, non vi abbiamo ritrovato niente contro la s. Fede Cattolica, e buoni coſtumi &c.

Roma 13. Giugno 1752.

D. Giuſeppe Bianchini dell' Oratorio.
Gaetano Cenni.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſt. Sacri Palatii Apoſtolici.

F.M. De Rubeis Patriarca Conſtant.Viceſg.

IMPRIMATUR

Fr. Vincen. Elena Mag. Soc. Reverendiſs. P. M. Sac. Pal. Apoſt. Ord. Præd.

LEO-

LEOPOLDI ANDREÆ GUADAGNI

JURISCONSULTI, ET IN ILL. ACADEMIA PISANA ANTECESSORIS

DE FLORENTINO PANDECTARUM EXEMPLARI

An ſit Imp. Juſtiniani Archetypum, & an ex eo ceteri, qui ſuperſunt, Pandectarum libri manaverint

DISSERTATIO

AD ILLUSTRISSIMUM, ET CLARISSIMUM VIRUM

FERRANTEM CAPPONIUM

SENATOREM GRAVISSIMUM

Comitem, & Equitem ſplendidiſſimum.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I. *Scribendi occaſio. Diſſertationis argumentum, ejuſque utilitas.*

II. *Imp. Juſtiniani Conſtitutiones afferuntur; quibus forma deſcribendi Pandectas definitur.*

III. Προθεωρία *ad ſuperius allata Juſtinianearum Conſtitutionum loca interpretanda. Sigla a notis diverſa: Singularii a Notariis, a quibus diſtinguuntur Calligraphi, ſeu Librarii, Tabelliones, Tabularii. Quid tranſcribere ſit apud Scævolam. Siglorum, notarumque uſus. Abbreviationes a ſiglis longe diſtant.*

IV. *Earumdem Conſtitutionum loca ſuperius allata explicantur: Quid ſiglorum appellatione ibidem contineatur. Teſtamentum parentis inter liberos* ὁλογράμματον *ex nov. 107. cap. 1. Pœna ſi quis adverſus eas Conſtitutiones faxit.*

V. *Librarios, qui Florentinum exemplar conſcripſerunt, Juſtinianeis Conſtitutionibus non ubique penitus paruiſſe oſtenditur: Unde conjectura eſt, illud non eſſe Juſtiniani archetypum. Ejuſdem exemplaris ætas.*

VI. *Conjecturæ aliæ, quibus comprobatur, Flor. Exemplar non eſſe prototypum Juſtiniani. Exemplaris ejuſdem menda, & lacunæ.*

VII. *An Pandectarum exempla, quæ ſupereſſe noſcuntur, omnia ex Florentino exemplari originem duxerint. Affirmantium opinio, Græcis libris exceptis, præfertur. De perturbato in poſtremis exemplaris ejuſdem chartis conglutinandis ordine. Ejus erroris ſchema. Haud rectum eſſe earum chartarum ordinem oſtenditur.*

VIII. *Perturbatus idem ordo in ceteros Pandectarum libros invectus. Aliena manus in vulgatis deprehenditur in l. non poteſt, ff. de Reg. Jur. Variæ lectiones in*

*l.ad ea,ff.eod.Duorum titulorum trajectio in lib.*XXXVII. *Pand. e Florentino Mſ. in ceteros libros derivata .*

IX. *Objectio prima adverſus Taurelli , & Auguſtini ſententiam diluitur . Conjecturæ duæ refelluntur , quarum altera a Cl. Donato Aſtenſi , altera a Cl. Grandio adfertur , ad eludendam vim argumenti ducti ex male compactis in Florentino exemplari membranis .*

X. *Antonii Contii conjectura quædam improbatur . Digeſtum vetus , & novum Bononiam allatum antequam Pandectarum inſigne illud Exemplar Piſis extaret . Oſtenditur etiam, partem aliquam, quæ antecedit legem quærebatur* 81. *ff. ad L. Falcid. e Florentino Exemplari fuiſſe deſcriptam .*

XI. *Impugnatur Abrahami Wielingii ratio , qua Taurelliani argumenti vim eludere conatur .*

XII. *Oppoſitio altera removetur ducta a Digeſtis in Vetus , Infortiatum , & Novum diſtinctis antequam Pandectæ Piſis extarent . Vulgares Pandectarum libros ex iis , qui nunc Florentini dicuntur , Ravennæ fuiſſe deſcriptos , veriſimile eſt . Quo tempore Juſtinianeum Juris σύνταγμα in Italiam advectum . Exponitur caput* XI. *Pragmaticæ Sanctionis Juſtiniani . Pandectarum Exemplar , de quo agimus , Ravennam fortaſſe , dum Exarchi ibidem præerant , allatum .*

XIII. *Juſtinianeum Jus etiam poſt Longobardorum Regem Aiſtulphum Ravennæ floruiſſe conjicitur . Pandectarum exempla Ravennæ deſcripta , & in diverſas partes diviſa,deinde Bononiam translata. Expenduntur quædam Accurſii , & Odofredi loca . Chriſt. Godofr. Hoffmanni, aliorumque argumenta nonnulla refutantur .*

XIV. *Oppoſitio ex variis lectionibus Florentini Exemplaris aliorumque librorum deſumta . Variæ lectiones imperitiæ librariorum tribuendæ : meliores interdum in Florentinis quam in ceteris Pandectarum libris . Ejus rei exempla quædam .*

XV. *Le-*

XV. *Lectiones aliæ indicantur, in quibus etſi deſcitum conſtet a Florentino Exemplari, haud tamen conjici ex iis poteſt, vulgares, alioſque Pandectarum libros ex illo non profluxiſſe.*

XVI. *Diverſa, quæ in Inſcriptionibus Legum habentur, Juriſconſultorum nomina in variis Pandectarum exemplis, minime probant, hæc ex Florentino Codice originem non habuiſſe. Plures hujuſce diverſitatis cauſſæ afferuntur. Objectio diluitur ex eo ducta, quod in vulgatis diſtinctæ quædam leges habentur, quæ in Florentino unicam conficiunt in plures paragraphos tributam.*

XVII. *Meliores, quæ in Vulgatis Pandectis interdum habentur, lectiones minime refragantur ſententiæ qua contenditur, omnia Pandectarum, quæ ſuperſunt, exempla ex Etruſco Exemplari eſſe deducta.*

XVIII. *Supplementa, quæ in vulgatis Digeſtis reperiuntur, interdum ſupervacanea eſſe oſtenditur.*

XIX. *Oppoſitioni reſpondetur ex eo ductæ, quod Florentinum exemplar Græca verba ſine Latina interpretatione exhibeat, Vulgares autem Pandectæ Græca & Latina habeant, vel ſine Græcis Latina. De interpretationis illius Auctoribus non ſatis conſtat. Doctiſſim. Virorum de eadem interpretatione judicia. Nonnulli, qui in ea deprehenduntur, errores recenſentur.*

XX. *Modeſtinum IC. non eſſe, ut putat Aſtenſis, auctorem ejus interpretationis, qua libri Excuſationum in Latinum vertuntur. Errores quidam ejus interpretationis indicantur.*

XXI. *Cl. Donati Aſtenſis conjecturæ quædam expenduntur.*

DE

Digitized by Google

DE FLORENTINO PANDECTARVM EXEMPLARI.

Caput Primum

Scribendi occaſio. Diſſertationis argumentum, ejuſque utilitas.

QUod mihi non ita pridem Florentiæ, quum domum tuam adveniſſem, obſervantiam in Te meam ſignificaturus, humanitate ſumma injunxiſti; ILLUSTRISSIME, ET CLARISSIME SENATOR, ut quoniam in eum ſermonem ſorte fortuna incidimus, quo Piſani olim, nunc Florentini Pandectarum Exemplaris præſtantia, & auctoritas commendabatur, argumenta non voce tantum, ſed & ſcriptis expenderem, quibus probari ſolet, non eſſe illud quidem Imp. Juſtiniani archetypum, ex eo tamen quotquot habemus Pandectarum libros profluxiſſe; id accurate quantum conjecturis aſſequi licebit, hac veluti Diatribe quadam præſtare contendam. Profecto munus hoc obeundum libenter ſuſcepi, tum quia plurimum valuiſſe apud me Tuam

ſemper auctoritatem ſentiebam, ipſumque ad GentisTuæ gloriam pertinere quodammodo videbatur, quæ inter Majores tuos habuit præſtantiſſimum in primis virum, omnique laude cumulatiſſimum Ginum Capponium, cui, ſi cauſſam ſpectemus, præclarum illum auro gemmiſque contra, apud eos, qui recte judicant, æſtimandum theſaurum Florentia, hoc eſt Patria noſtra debet; tum quia non de leviore quadam, nulliuſque momenti re agendum erat, verum de ea, quæ plus habet in receſſu, quam in fronte promittat, quæ vel ſummi nominis Interpretes jamdiu exercitos habuit, quæ ad pleraque Romanorum Prudentum loca librariorum mendis, vel præcipiti criticorum judicio depravata integritati ſuæ, priſtinoque nitori reſtituenda plurimum prodeſt, qua demum Canon ille conſtabilitur, Florentinam Pandectarum lectionem, niſi luculentiſſima ex adverſo urgeat ratio, eſſe ceteris præferendam. Jam vero ut alacriore animo tractationem hanc inſtituerem, illud vel maxime impellebat, quod ſumma Imp. Cæſ. FRANCISCI I. Pii, Felicis, Auguſti beneficentia mihi in celeberrima Piſana Academia ſolidos Pandectas ordine interpretandi multum diuque intermiſſum munus delatum fuerat, neque adeo ab inſtituto, officioque meo abhorrere, imo vero ipſi conſentaneum omnino eſſe videbatur de Etruſci Pandectarum Exemplaris præſtantia, & auctoritate

te diſſerere. Itaque nullo modo pigebit, eam primum comprobare ſententiam, qua definitur, celeberrimum illud exemplar etiamſi vetuſtiſſimum, haud tamen Imp. Juſtiniani archetypum, vel Triboniani autographum eſſe, fruſtra contrarium exiſtimantibus præter Juris Interpretes, qui ſæculo xiv. & xv. floruerunt, etiam Politiano, Hotomanno, Broeo, Perezio, aliiſque: deinde vero oſtendere juvabit, libros Pandectarum omnes, quot novimus, ſive manu exaratos, ſive typis editos originem ex Florentino Exemplari duxiſſe. Egregie utrumque præſtiterunt duo illi clariſſimi Viri, optimeque de tam inſigni MS. ac de univerſa adeo jurisprudentia meriti, Ant. Auguſtinus *lib.* I. *Emendat. cap.* I. *& alibi*, & Henr. Brencmannus *Hiſt. Pand. lib.* III. *cap.* I. *&* II. ut forte quis exiſtimare poſſit, me poſt Homeros Iliadem ſcribere, poſt Roſcios comœdiam agere; Sed & ſpicilegium aliquod relictum videtur, & reſpondendum eſt doctiſſimis aliquot Viris, quorum aliquis non multo ante, alii vero etiam poſt ipſum Brencmannum ſcripſerunt, pluribuſque argumentis Pandecten Florentinum ceterorum, quos etiam nunc habemus, prototypum eſſe negarunt.

CA-

CAPUT II.

Imp. Juſtiniani Conſtitutiones afferuntur, quibus forma deſcribendi Pandectas definitur.

AC mihi quidem principio ipſa Juſtiniani verba, quibus potiſſimum innititur, quod priore loco propoſitum eſt, afferenda videntur: ita enim tamquam in re, & in loco præſenti, ejus, quam deinde ſubjiciam, interpretationis ratio dilucidius conſtare, & quomodo Florentina ſcriptio ab ipſis Juſtiniani conſtitutionibus interdum aberret, commodius deprehendi poterit, & confirmari. Hæc itaque Imperator habet *in Conſt. Deo auctore*, *§. penult. de Conceptione Digeſtor.* quæ eſt *Lex prima C. de Vet. jure enucl.* „ *Ne autem per ſcripturam aliqua fiat in poſterum dubitatio, jubemus, non per SiNplorum* (ut Florentiæ habetur: Taurellus in margine: *Singulorum*. In Codice Juſtinianeo Moguntiæ edito A. D. 1475. & in alio edito Baſileæ A. D. 1487. legitur, Franc. Carolo Conrado teſte, *Signorum*: recte alibi *Siglorum*) *captiones, & compendioſa ænigmata, quæ multas per ſe, & per ſuum vitium antinomias induxerunt, ejuſdem codicis textum conſcribi; etiamſi numerus librorum ſignificatur, aut aliud quicquam; nec etenim per ſpecialia ſigla numerorum manifeſtari, ſed per litterarum conſequentiam explanari concedimus.* „ Præterea *in Conſt. Omnem*, *§. illud autem* 8., *ad Anteceſſores*, quæ Procemium Digeſtorum inſcribi

ſcribi ſolet, ſic ait Juſtinianus. „ *Illud autem, quod jam tum ab initio hoc opus mandantes in noſtra oratione, & opus completum in alia noſtri numinis conſtitutione ſcripſimus, & nunc utiliter ponimus: ut nemo audeat eorum, qui libros conſcribunt, ſigla in his ponere, & per compendium ipſi legum interpretationi, vel compoſitioni maximum afferre diſcrimen: ſcituris omnibus librariis, qui hoc in poſterum commiſerint, quod poſt criminalem pœnam æſtimationem libri in duplum domino ejus, ſi neſcienti dederint, inferre compellentur, quum & ipſe, qui talem librum comparaverit, nihilo* (ſic Florentiæ legitur, omiſſa præpoſitione *pro*: quod exemplo Livii, aliorumque probat Laur. Theod. Gronovius *Emend. Pandectar. cap.* 18. Haloander edidit *pro nihilo*) *eum habebit, nemine judice ex tali libro fieri recitationem concedente, ſed pro non proſcripto eum habere diſponente.* „ Sic habetur Florentiæ, ut ediderunt Taurellus, Ruſſardus, Charondas, aliique: ſed Taurellus ſuperfluum indicavit τὸ *pro* in *proſcripto*. Haloander edidit *ſed pro non ſcripto eum haberi diſponente*. Gronovius *laud cap.* legendum recte conjicit, *pro non prorſus ſcripto*; quæ conjectura & Conrado ibidem probatur. Eadem conſtituta ſunt a Juſtiniano *in Epiſtola Tanta circa nos §. eamdem* 22. *de Confirmatione Digeſtorum ad Senatum, & omnes populos*, quæ eſt *Lex* 2. *C. de Vet. jure enucl.*, his verbis: „ *Eamdem autem pœnam falſitatis conſtituimus & adverſus eos, qui in poſterum*

ſterum leges noſtras per ſiglorum obſcuritates auſi fuerint conſcribere ; omnia enim , ideſt & nomina prudentium , & titulos , & librorum numeros per conſequentias literarum volumus , non per ſigla manifeſtari : ita ut qui talem librum ſibi paraverit , in quo ſigla poſita ſunt , in qualemcumque locum libri vel voluminis , ſciat inutilis ſe eſſe codicis dominum, neque enim licentiam aperimus ex tali codice in judicium aliquid recitare , qui in quacumque ſua parte ſiglorum habet malitias . Ipſe autem librarius , qui eas inſcribere auſus fuerit , non ſolum criminali pœna , ſecundum quod dictum eſt , plectetur : ſed etiam libri æſtimationem in duplum domino reddat , ſi & ipſe dominus ignorans talem librum vel comparaverit , vel confici curaverit : quod & antea a nobis diſpoſitum eſt , & in Latina Conſtitutione , & in Græca , quam ad legum profeſſores dimiſimus . Ubi ſunt *τὰ ſiglorum , & ſigla*. Codices Moguntinus , & Baſileenſis habent , *ſignorum , & ſigna:* Præterea uterque Codex Græcæ Conſtitutionis mentionem non habet , nam in Moguntino legitur *diſpoſitum eſt Conſtitutione , quam ad Legum &c.* in Baſileenſi *diſpoſitum eſt inſtitutiome , quam ad &c.* Græca illa Conſtitutio ætatem non tulit , verum alia extat ad magnum Senatum Græce ſcripta , quæ incipit Δέδωκεν , *de Confirmatione Digeſtorum* , ubi §. 22. eadem totidem fere verbis , ut in d. l. 2. Imperator idem conſtituit , & , quod maxime animadvertendum , omnem in judiciis auctoritatem , & fidem aufert

fert iis Pandectarum Codicibus, qui per ſigna conſcripti fuerint, etiamſi unum tantummodo ſignum in quacumque parte contineant, *κἂν εἰ πρὸς ἅπαξ εἴη τοῦτο γενόμενον*, *etiamſi ſemel ſit hoc admiſſum*. Denique annis poſt eas Conſtitutiones trecentis, ac tribus fere & quinquaginta hæc ſcripta ſunt in Baſilicis *Lib. II. tit. VI.* §. 20. *Κελεύει δὲ μὴ διὰ σιγλῶν τὸ ὕφος τοῦ νόμου χαράττεσθαι, δι' ὧν ἀντινομίαι πολλαὶ εἰσάγονται*: *jubet vero, ne per ſiglæ contextus legis ſcribatur, per quæ legum contrarietates multæ introducuntur.*

CAPUT III.

Προθεωρία ad ſuperius allata Juſtinianearum Conſtitutionum loca interpretanda. Sigla a notis diverſa: Singularii a Notariis, a quibus diſtinguuntur Calligraphi, ſeu Librarii, Tabelliones, Tabularii. Quid tranſcribere ſit apud Scævolam. Siglorum, notarumque uſus. Abbreviationes a ſiglis longe diſtant.

QUale vero illud ſit, quod a Juſtiniano tot Conſtitutionibus vetitum eſt, age jam videamus. *Sigla*, vel *Singla* per ſyncopen ſic appellata quaſi *Singula*, literæ ſunt ſingulares, quæ integram dictionem deſignant. Ita *Senatus Populuſque Romanus*, ut nemo non novit, hiſce ſiglis deſignatur S.P.Q.R. Formulam hanc *Doli mali fraudiſve cauſſa* hæc ſigla indicant D. M. F. C. ut Valerius Probus exponit. Alia, ut videtur, ſignificatione literas ſingularias Aulus Gel-

Gellius dixit *Noct. Attic. lib.* XVII. *cap.* 9. nempe ubi ex condicto commutatur literarum ſitus, ut conventionis ignarus verba ex iis literis conficere nulla poſſit, de quo inferius dicendum.

A Siglis longe diſtant Notæ, in ſpecie ſic nuncupatæ, quas recte quis definierit ſigna quædam, ſeu characteres præter literas communi conſuetudine receptas, qui plurium literarum, vel dictionum vim habent: exempli gratia, *Senatus Populuſque Romanus* hac nota deſignabatur , cujuſmodi etiam ſunt quæ Tironi, & Senecæ vulgo tribuuntur, & in fine Gruteriani Theſauri inſcriptionum habentur. A Græcis dictæ ſunt σημεῖα. Cic. *ad Atticum lib.* XIII. *cap.* 32. „ Et quod ad te de decem legatis ſcripſi, parum intellexti, credo, quia διὰ σημείων ſcripſeram: „ ita etiam, ut ceteros omittam, dicuntur a Plutarcho, & a D. Baſilio in locis inferius laudandis. Extabat olim Diogenis Cyziceni liber περὶ τῶν ἐν τοῖς βιβλίοις σημείων, quemadmodum & Ariſtonici Grammatici liber de notis Heſiodeis. Laertius in Platone σημεῖα quædam affert, quæ Platonis libris apponebantur. Indicia *in l. ult. C. Famil. erciſc.* doctiſſimus Cujacius *Conſult.* I. pro notis accipit, quemadmodum & *in l. Si cogitatione* 21. *C. eod.* iis verbis *qualicumque indicio* (male apud Haloandrum legitur *judicio*) etiam notæ contineri videntur. Ad ejuſmodi ſigna, quæ literarum formam non habent, referri poſſunt notæ cri-

ticæ, que verſibus apponebantur, ut aſteriſcus, obelus, lemniſcus, ceraunium, aliæque plures, de quibus Iſidorus *Orig. lib.* I. *cap.* 20. Ipſæ numerorum notæ olim quidem apud Romanos proprie non erant literæ, ſed eas poſteriore ætate ad literarum formam paulatim convertit librariorum inſcitia, ut recte conjicit P. Manutius. Sigla & notas recte diſtinxit Manilius *Aſtron. lib.* IV. *v.* 197.

> *Hic & Scriptor erit velox, cui LITERA verbum eſt,*
> *Quique NOTIS linguam ſuperet, curſimque loquentis*
> *Excipiat longas nova per COMPENDIA voces.*

Notas quoque non eſſe literas, etiam ex Paulo IC. conſtat, qui *in l. Sed cum patrono 6. §. ult. ff. de Bonor. Poſſ.* hæc habet. „ *Notis ſcripta tabula non continentur edicto, quia Notas literas non eſſe Pedius libro viceſimo quinto ad Edictum ſcribit* „. Idem Paulus *in l. Lucius* 40. *in princ. ff. de Teſtam. mil.* „ *Lucius Titius miles notario ſuo teſtamentum ſcribendum notis dictavit, & antequam literis perſcriberetur, vita defunctus eſt: quæro, an hæc dictatio valere poſſit? reſpondi, militibus quoquo modo velint, & quo modo poſſunt teſtamentum facere conceſſum eſſe: ita tamen, ut hoc ita ſubſequutum eſſe legitimis probationibus oſtendatur* „. Ex quibus omnibus valde probatur Lipſii emendatio, qui ubi apud Suetonium *in Auguſto c.*64.

le-

legitur *Nepotes & literas, & natare, aliaque rudimenta per ſe plerumque docuit, ac nihil æque laboravit, quam ut imitarentur chirographum ſuum:* recte legit *literas, & notare*. Idem Suet. *in Galba cap.* 5. ubi de teſtamento Liviæ Auguſtæ loquitur, duo hæc diſtinguit, *notare, & perſcribere ſummam*: ait enim. *HS namque quingenties quum præcipuum inter legatarios habuiſſet, quia vero notata, non perſcripta erat ſumma, herede Tiberio legatum ad quinquaginta revocante, ne hæc quidem accepit.*

Interdum tamen literæ contra communem uſum acceptæ Notarum vicem gerunt, quum una litera pro alia ponitur. De Julio Cæſare hæc Dio tradit lib. XL. *Εἰώθει δὲ καὶ ἄλλως ὁπότε τὶ δὶ ἀπορρήτων τινὶ ἐπέστελλε, τὸ τέταρτον ἀεὶ στοιχεῖον ἀντὶ τοῦ καθήκοντος ἀντεγράφειν, ὅπως οὐκ ἀνάγνωστα τοῖς πολλοῖς ᾖ τὰ γραφόμενα. Conſueverat vero & alioquin, ſi quid ſecreti per literas alicui ſignificaret, quartum ſemper elementum pro eo quod ſcribi debebat, ſcribere, ne obvia literarum lectio cuivis eſſet*. Idipſum teſtatur Suetonius *in Jul. Cæſ. cap.* 56. „ *Extant* Epiſtolæ *& ad Ciceronem, item ad familiares domeſticis de rebus: in quibus ſi qua occultius perferenda erant, per notas ſcripſit, ideſt ſic ſtructo literarum ordine, ut nullum verbum effici poſſet: quæ ſi quis inveſtigare, & perſequi vellet, quartam elementorum literam, ideſt* d *pro* a, *& per inde reliquas commutet.* Hujuſmodi literas Gellius *Noct. Attic. lib.* XVII. *cap.* 9.

c.9. ſingularias dixit. *Libri ſunt epiſtolarum C. Cæſaris ad C. Oppium, & Balbum Cornelium, qui res ejus abſentis curabant. In his epiſtolis quibuſdam in locis inveniuntur literæ ſingulariæ ſine coagmentis ſyllabarum, quas tu putes poſitas incondite. Nam verba ex his literis confici nulla poſſunt. Erat autem conventum inter eos clandeſtinum, de commutando ſitu literarum, ut in ſcripto quidem alia aliæ locum, & nomen teneret: ſed in legendo locus cuique ſuus, & poteſtas reſtitueretur. Quænam vero litera pro qua ſubderetur, ante iis (ſicut dixi) complacebat, qui hanc ſcribendi latebram parabant. Et adeo Probi grammatici commentarius ſatis curioſe factus de occulta literarum ſignificatione epiſtolarum C. Cæſaris ſcriptarum.* Auguſtus quoque, ne quædam a ſe ſcripta intelligi a quovis poſſent, literas commutabat: ſic enim Dio lib. LI. Ἐπέστελλε δὲ καὶ ἐκείνοις, καὶ τοῖς ἄλλοις τοίς φίλοις, ὁπότε τί δέοιτο δι' ἀπορρήτων σφίσι δηλῶσαι, τὸ δεύθερον ἀεὶ στοιχεῖον τοῦ τῷ ῥήματι προσήκοντος ἀντ' ἐκείνου ἀντιγράφων. *Quum vero & ad eos, & ad alios amicos epiſtolas mitteret, quando quid oportebat ſecreto ipſis ſignificare, literam quæ proxime ſequebatur eam, quæ verbo conveniret, ſemper pro illa ſcribebat.* Suetonius *in Auguſto cap.* LXXXVIII. *Quoties autem*, inquit, *per notam ſcribit* b *pro* a: c *pro* b, *ac deinceps eadem ratione ſequentes literas ponit: pro x autem duplex aa.* Ita apud Græcos κρυπτογραφία, ſive arcanus ſcribendi modus, de quo Cl. Mont-

ſauc. *in Palæogr. Græca lib.*1. *cap.* 5., in uſu erat per commutationem literarum, vel per novam, & inuſitatam characterum formam.

Quamquam vero ſigla proprie a notis differrent, ac notæ plerumque non eſſent literæ, ſigla tamen latiore ſignificatione notæ dicebantur: Valerius Maximus *lib* II. *cap.*2. *n.*7. *Veteribus*, inquit, *Senatus conſultis T litera ſubſcribi ſolebat, eaque NOTA ſignificabatur, illa Tribunos quoque cenſuiſſe*. Voluſius Mæcianus IC. & Imp. Marci præceptor notarum nomine etiam ſigla comprehendit; ſcribit enim in libello de aſſe: *Pars dimidia SEMIS vocatur: nota ejus S. ſequens diviſio fit in tres tertias partes; pars tertia triens vocatur; nota ejus* --. Ad ampliorem hanc notarum ſignificationem pertinent Iſidori verba *Orig. lib.*1. *cap* 22. *Quædam autem literæ in libris juris verborum ſuorum Notæ ſunt, quo ſcriptio celeris, breviorque fiat: ſcribebatur enim verbi gratia per* b *& per* f *bonum factum; per* S *& per* C *Senatus conſultum &c. Cujus generis plurimæ conſimiles Notæ in libris antiquis inveniuntur*. Quamobrem & in Gloſſis Nomicis habetur Νοτάριος, ὁ τῶν γραμμάτων, *νότα γὰρ τὰ γράμματα*.

Ceterum qui ſiglis ſcribebant, *ſingularii*, aut *ſingulares* dicebantur. In notitia, quæ habetur poſt L. I. *C. de Off. Præf. Præt. Africæ*, nominatur *Schola ſingularium*: qui vero notis ſcribebant, notarii dicti ſunt, multo quidem ab

iis

iis diverſi, quos hac ætate Notarios appellamus. Iſidor. *Orig. lib.*1. *cap.*21. *Notas*, inquit, *qui didicerunt. proprie jam Notarii appellantur*. Notarius privati hominis ſervus, qui notis ſcribebat, intelligendus eſt in *l. Lucius* 20. *in princ. ff. de Teſtam. mil.* & in *l. penult. C. qui potior. in pign. hab.* ibi „ *manu contrahentium, vel notarii, vel alterius*; ad quem locum doctiſſ. Cujacius animadvertit, Notarios eſſe ſervos, qui ad ſcribendum operas locant. A Græcis Notarii σημειογράφοι, nempe *notarum ſcribæ* dicuntur. Gloſſæ a Labbæo collectæ: Σημειογράφος *Notarius*. Item ob ſcribendi celeritatem ταχυγράφοι, & ὀξυγράφοι nuncupati; quæ tamen appellatio generalis eſt, & continet etiam eos, qui jam ante IV. Chriſti ſæculum, ut obſervat Cl. Montſauc. *in Palæograph. Græca lib.*1. *cap.* 5. morem ſcribendi charactere unciali & quadro mutarunt, & literarum colligationes, & abbreviationes invenerunt, quibus in literis Imperatoris, aliiſque epiſtolis utebantur. Erant vero a Notariis, ſervis alicujus privati, longe diverſi *Notarii Principis*, ut eos appellat Ammianus Marcellinus *lib.* XXX. *cap.* 2. quia Græcis dicuntur βασιλικοὶ ὑπογραφεῖς, ut vocantur a Zoſimo *lib.* II. *c.* 4. *lib.* V. *c.* 40. a Socrate *lib.* VII. *c.* 23. & apud Suidam v. Αὐξέντιος:. Hi enim in Conſiſtorio Principis acta & ſecreta excipiebant, ac notabant; & de ipſis eſt Tit. Cod. Theod. *de Primicerio, & Notariis*, & Cod.

 Juſt.

Juſt. *de Primicerio, & Secundicerio; & Notariis*; de quibus plura dabit Jac. Gothofr. *ad eum Tit. Cod. Theod. Notarius* autem *ſecretorum*, quomodo a Vopiſco *in Aureliano* appellatur Mneſtheus, *quem pro Notario ſecretorum habuerat* Aurelianus, *libertum, ut quidam dicunt, ſuum*, a Zoſimo *lib.* 1. *cap.* 62. dicitur τῶν ἔξωθεν φερομένων ἀποκρίσεων μηνυτὴς, ut ad eum Vopiſci locum obſervat Salmaſius, & Jac. Gothofred. *ad l.* 1. *C. Th. de Primic. & Notariis*. Judicium faciebat hic Notarius; & foras efferebat Imperialia reſponſa. Perperam nonnulli, quos merito reprehendit Jac. Gothofredus *ad lib.* 31. *lit. K, C. Th. de Epiſc. Eccleſiis & Clericis*: Notarios apparitorum comminiſcuntur in ea lege, ibi *& notariis apparitorum*, legendum potius *notoriis*, quæ erant libelli, quibus rei criminum Magiſtratibus ſignificabantur, & *elogia* dicuntur *in l. Divus* 6. *in princ. ff. de Cuſt. & exhib. reor. in l.* 9. *C.Th. de Executorib. & Exactionib. in l. ult. C.Theod. de Naviculariis*. Gloſſæ Iſidori *Elogium textum malorum dictorum, quod Notoriam dicunt*.

A Notariis, atque Tachygraphis diſtinguebantur Calligraphi, ob ſcribendi elegantiam ſic appellati. Juſtinianus *Nov.* 42. *cap.* 1. *in fine* agens de ſcriptis Severi, qui anno 513. Sedem Antiochenæ Eccleſiæ (quam Theopolitanam vocat ibi Imperator, quum Antiochia ab ipſo reſtaurata Theopolis diceretur, ut a Ste-

Stephano traditur) per vim occuparat, mentionem habet non ſolum τῶν εἰς κάλλος, ſed etiam τῶν εἰς πάχος γραφόντων: Sic enim ait: γραφέσθω τε παρὰ μηδενὸς τὸ λοιπὸν μηδὲ τῶν εἰς κάλλος, μηδὲ τῶν εἰς πάχος γραφόντων, μηδὲ ἄλλου τῶν πάντων τινός. εἰδότος ὡς ἀποκοπὴ χειρὸς ἔσται τοῖς τὰ ἐκείνου γράφουσιν ἡ ποινή: quorum ſententia hæc eſt: Quæ a Severo tum dicta, tum ſcripta ſunt, a nemine in poſterum ſcribantur, ſive Calligraphus, ſive Tachygraphus ſit, ſive alius quilibet omnium hominum. Sciat vero quiſque, eos, qui illius opera ſcripſerint, amputatione manus eſſe puniendos. A nono autem ſæculo, eodem Cl. Montfauconio teſte, a Calligraphis quibuſque colligatio characterum, & abbreviationes uſurpabantur. Quos vero Modeſtinus Librarios appellaverat *in l. Spadonem* 15. *§. Neque librarios, ff. de Excuſat.* καλλιγράφους interpretatur Cujacius *ad l. Si duas 6. §. Grammatici ff. eod.* atque eo ſenſu dicti Librarii videntur a Gajo *in l. Forte* 28. *ff. de Rei Vind. & in l. Duorum* 49. *ff. de Operis libertor.* & ab Ulpiano *in l. Ut jurisjurandi* 7. *§. Dabitur* 5. *ff. eod.* Sane Ulpianus idem *in l.* 1. *§. Ludi 6. ff. de Extraord. Cognit.* Librarios a Notariis diſtinguit: *jam & Librariis, & Notariis, & Calculatoribus, ſive Tabulariis.* Quod notis ſcriptum erat a Notariis, id integris literis perſcribebant Librarii, ſive καλλιγράφοι: quo pertinere putat Brencmannus *Hiſt. lib.* 11. *cap.* 5. *pag.*140. verba illa

 Scæ-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Scævolæ *in l.Si Librarius 92.ff de Reg.Jur.* „ *Si Librarius in tranſcribendis ſtipulationis verbis erraſſet : nihil nocere , quo minus & reus , & fidejuſſor teneatur .* Hunc tamen locum haud male quis exiſtimaverit , non de καλλιγράφῳ , qui a primo exceptore , ſeu ταχυγράφῳ ſcripta , literis exſcribebat , ſed cum doctiſs. Cujacio , & Jac. Gothofredo accipiendum eſſe de Tabellione, ſeu ſcriptore contractus, qui inſtrumentum formabat , ut loquitur Ulpianus *in l. Moris 9. §. Solet 5. ff. de Pœnis* , & quæ apud ſe dicta , pacta conventa erant , excipiebat , redigebatque in ſcripturam . Συμβολαιόγραφος idem dicebatur ; συμβολαιόγραφος Heſychio ὁ τὰ συμβόλαια γράφων : apud antiquos Atticos συμβόλαιον erat ipſa conventio , & contractus ; apud recentiores Græcos erat inſtrumentum : ut docet Salmaſ. *de modò Uſur.cap.*10.*pag*.424. 426. Itaque in tranſcribendis verbis ſtipulationis errat Librarius , qui promiſſionem interrogationi præmittit , vel fidejuſſoriam obligationem primo loco ponit , vel unica formula includit reum principalem , & fidejuſſorem , vel denique , ut ſpeciem hujuſce legis Græci effingunt , reum principalem fidejuſſorem vocat , & exadverſo . *Tranſcribere* quidem eſt ab exemplari deſcribere . Gloſſæ Cyrilli : *Tranſcribo* , μεταγράφω. Quod Ulpianus ait *in l.*1. *§.*1. *ff. de Edendo* : *Edere eſt etiam copiam deſcribendi facere* , Græcus Interpres *in Synopſi Baſilic. p.* 86. vertit

tit προεκδῦναι δέ ἐστι, καὶ τὸ παρασχεῖν αὐτοῦ εὐχέρειαν μεταγράψασθαι. Verum quandoque *tranſcribere* eſt etiam *mutare* : Seneca : *Philoſophia te in virum tranſcripſit*, ideſt, ut interpretatur Budæus *in Annot. ad l. Si vir uxori, de Præſcr. Verb.* μετέταξέ σε εἰς ἄνδρα : ut non male in Martini Commentario *in tit. de Reg. Jur. ex recenſione Cujacii, ad l. Si Librarius*, habeatur : *tranſcribit qui rectum ordinem non cuſtodit*. Quemadmodum vero Scævola mutationem a Librario factam reſpicit in ſcribendis iis, quæ dicta & conventa ſunt, ita quoque mutatas inter recitandum a publico ſcriba literas innuit Ulpianus Rhetor in Demoſthenis orationem περὶ τοῦ στεφάνου : quum enim a Demoſthene Æſchines dictus eſſet ὄλεθρος γραμματεύς : hæc ibidem Ulpianus ſcribit ἢ ὀλέθρου ἄξιος. ἢ ὁ πολλοῖς προξενήσας ὄλεθρον, τῷ μεταβάλλειν τὰ γράμματα ἐν τῷ ἀναγινώσκειν : *vel interitu dignus, vel qui multis cauſſa fuit interitus, mutando literas inter recitandum*.

Porro Librarii etiam *Libelliones* dicebantur, quemadmodum a tabulis *Tabularii* dicti, & *Tabelliones*. Nonius Marcellus *edit. Plantin. pag.* 162. „ *Libellionem, ut Tabellionem. Varro Manio. Tum ad me fuerunt* (al. ferunt) *qui Libellionem eſſe ſciebant*. Statius *Sylv. lib. IV.* 9.

Sed Bruti ſenis oſcitationes
De capſa miſeri Libellionis
Emtum plus minus aſſe Cajano
Donas.

 Nihil

Nihil ſane eſt, quod oſtendat Varronem, & Statium in his locis intelligendos potius eſſe cum Jac. Gothofredo de exceptore, & ſcriptore Inſtrumenti, quem hodie Notarium vocamus, quam de quolibet librorum ſcriptore, ſeu *βιβλιογράφῳ*. Verum & Libellionem eſſe etiam publicum ſcribam, ſeu publicum actorum ſcriptorem veriſimile admodum eſt. In veteribus Gloſſis a Labbæo collectis, habetur *γραμματεῖς Libelliones* : *γραμματεύς ſcriba*. *γράμμα* vero non ſolum literam, ſed & librum, & inſtrumentum, & tabulas contractus deſignat: *γραμματογράφοι tabularii publici*, qui *δημόσια γράμματα* conſcribunt, ut obſervat Salmaſ. *de modo uſur. cap. 15. pag. 675.* Publicos contractuum, vel teſtamentorum ſcriptores Tabelliones dictos eſſe conſtat, de quibus agitur *in l. 1. C. Th. ad L. Cornel. de Falſis, l. 21. C. Juſt. eod. tit. l. 3 C. Th. de Decurionib. l. 15. C. Juſt. eod. tit. l. 14. §. 13. C. Juſt. de Sacroſ. Eccl.* & ſæpe alibi in eodem Cod. *& Nov. 44.* *περὶ τῶν συμβολαιογράφων, κ. τ. λ.* Gloſſæ Nomicæ. Ταβελλίων, *ὁ τὰ τῆς πόλεως γράφων συμβόλαια, ὁ παρὰ τοῖς πολλοῖς νομικὸς λεγόμενος, ἅπαντα ἐπιτελῶν τὰ τῶν πολιτῶν γραμματεῖα, ἕκαστον αὐτῶν οἰκείοις ἐπισφραγίζον γράμμασιν* : quæ & apud Suidam habentur in V. Ταβελλίων, & in V. Πρισκός. Quamquam vero Tabelliones inſtrumenta ſcriberent, nondum tamen eam auctoritatem obtinuerant, quam Notarii noſtræ ætatis habent,

bent, ut teſtibus non interrogatis, ipſorum inſtrumentis credatur, ut monet Pancirolus *in Notitia Dignitat. Imperii Orient. cap.* 14. Sequior ætas Tabelliones appellavit Tabularios, ut in Novella quadam Leonis animadvertit Cujacius *ad lib.* 15. *C. de Decurionib.* Gloſſæ Nomicæ Ταβελλίωνος, Ταβȣλαρίȣ. Proprie vero Tabularii erant, qui civitatum, aut provinciarum chartas, & rationes tractabant, ac ſupputabant: circa rem tributariam occupati erant, ideo Sidonius *lib.* IV. *epiſt.* 11. ſcripſit: *Habens procuratorem in negotiis, villicum in prædiis, Tabularium in tributis.* Erant addicti tabulario civitatum, in quo pleraque publica, & privatorum recondebantur, veluti debitorum obſignatæ pecuniæ: maxime vero tabellæ publicæ in eo ſervabantur: Livius *lib.*34.,,*Cenſores ſignatis tabellis publicis, clauſo tabulario, dimiſſiſque ſervis publicis, negarunt ſe quidquam publici negotii geſturos.* Gloſſæ veteres γραμματοφυλάκιον *Tabularium.* Gloſſæ Philoxeni λογιστήριον *Tabularium*, quippe in eo rationes publicæ ſubducebantur. Tabularii etiam in rebus privatorum plerumque adhibebantur, vel ut pro imperitis literarum ſcriberent, atque ſubſcriberent, vel ut pro ſtipulari propter ætatem nequeuntibus ſtipularentur quaſi perſonæ publicæ, *in §. Quum autem 3. Inſt. tit. de Adopt.* Libri manu exarati, Cujacio, Hotomanno, Pacio teſtibus, habent *Perſona publica*, *ideſt*

ideſt Tabulario. Theophilus ibid. *ἐν δημοσίῳ προσώπῳ, τουτέστι τῷ ταβουλαρίῳ*. Gloſſæ Nomicæ Ταβουλάριοι, *δημόσιοι*. Olim erant ſervi publici civitatis *arg. l. 3. C de ſervis reipubl. manumittend.* Deinde quum ex iis Tabularii deſiiſſent ordinari, ut conjicit Jac. Gothofredus *ad l. ult. C. Th. de Tabulariis*, e ſervis vel colonis privatorum creari cœperunt. Sed Imp. Honorius *d. l. ult.* quæ eſt *lex 3 C. Juſt. eod. tit.* juſſit, ut liberi homines Tabularii ordinarentur, neque ulli deinceps ad hoc officium pateret aditus, qui eſſet obnoxius ſervituti.

Ex iis omnibus, quæ hactenus dicta ſunt, perſpicuum eſſe arbitror, Notarios, qui ſcilicet notas adhibebant, accurate diſtinguendos eſſe a Singulariis, a Calligraphis, ſeu Librariis, a Tabellionibus, a Tabulariis: dicendum nunc breviter eſt de uſu tum ſiglorum, tum etiam Notarum. Sigla quidem frequentiſſima in nummis, & lapidibus habentur: Codicis Theodoſiani, & Juſtinianei utramque paginam implent in legum inſcriptionibus, & ſubſcriptionibus, veluti P V. R. *Præfecto Urbis Romæ*. *D. S. Data ſubſcripta*: frequens eorum uſus in formulis; item in ſententiis, quemadmodum Sigla illa CCC. *cum conſilio conloquutus*, quæ in antiqua ſententia Alfeni Senetionis exhibentur a Cujacio *Obſ. lib. XVIII. cap. 32.* Romæ Patricios, e quorum ordine Juriſconſulti erant, notis olim in formulis conſcribendis

diſ uſos fuiſſe novimus: quum enim formulæ una cum Faſtis anno V.C. 449. evulgatæ eſſent a Cn. Flavio, ut eſt *in l. 2. §. poſtea 7. ff. de Orig. Jur.* Juriſconſulti novas formulas excogitarunt, quas notis conſcripſerunt. Cic. *pro Murena cap.* XI. „ *Inventus eſt*, inquit, *ſcriba quidam Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit, & ſingulis diebus ediſcendos Faſtos populo propoſuerit, & ab ipſis cauſis Juriſconſultis eorum ſapientiam compilarit. Itaque irati illi, quod ſunt veriti, ne dierum ratione pervulgata, & cognita, ſine ſua opera lege poſſet agi, notas quaſdam compoſuerunt, ut omnibus in rebus ipſi intereſſent*. Quo quidem in loco dum quærunt doctiſſimi Viri, quid notarum appellatione ſignificetur, non una eſt omnium ſententia: Manutius enim obſcura quædam verba interpretatur; Sylvius Ambianus formulas; Cujacius quoque *in lib.* XI. *reſp. Pauli, ad L. Lucius* 40. *ff. de Teſtam. mil.* exponit formulas literis ſingulariis, hoc eſt, ut ipſe accipit, Siglis conſcriptas, quemadmodum & Valerius Maximus laudato ſuperius loco tradit, veteribus Senatuſconſultis T. literam fuiſſe ſubſcriptam, qua nota ſignificaretur, illa Tribunos quoque cenſuiſſe. Alii, ut Grævius ad eum Ciceronis locum, pro figuris nullam ſpeciem literarum habentibus accipiunt; quod etſi veriſimilius profecto ſit, nil tamen impedit, quominus etiam Siglis formulas quaſdam conſcriptas fuiſſe cum doctiſſ.

Cu-

Cujacio ſentiamus. In Legibus quoque, & Edictis ſcribendis deſcribendiſve notas quaſdam adhibitas fuiſſe conjicitur. Manilius.

Hic etiam legum tabulas, & condita jura
Noverit, atque notis levibus pendentia verba.

Niſi forte hic locus de notis, quibus formulæ ſcribebantur, intelligendus videatur. Uſum notarum in epiſtolisCic. *ad Attic. lib.* XIII. *ep.* 32., in teſtamentis militum Paulus IC. indicat in laud. *l. Lucius* 40. *in princ.* notaſque numerales in teſtamentis adhibitas fuiſſe non ſolum ex Suetonio *in Galba cap.* 5., ſed & ex Ulpiano colligitur *in l. quoties* 9. *§. ſed etſi quis* 4. *ff. de hered. inſt.* ait enim „ *Sed ſi quis pro centum ducenta per notam ſcripſiſſet, idem juris eſt*; nempe centum legata obtinebit. Ceterum inuſitatis notis conſcriptum pagani teſtamentum nec Civili, nec Prætorio jure valet, ut recte docet Cujacius *Obſ. Lib. III. cap.* 3. & Dionyſ. Gothofr. *ad d. l. Quoties*. Maxime vero, ut pleraque omittam, notarum uſus invaluit, ut veloci manu exarari poſſent, vel quæ ab oratoribus recitabantur, vel acta Magiſtratuum, vel hujuſmodi alia; utque adeo notis expeditam, ac profluentem dicentis celeritatem, & quemadmodum Homerus ait ἔπεα πτερόεντα ſcribentes aſſequerentur. Orationem Catonis in Lentulum, & Cethegum, alioſque conjuratos, notis exceptam fuiſſe narrat Plutarchus *in Catone*, ſimul-

ſimulque notariorum originem indicat. Τοῦτον μόνον, ὧν Κάτων εἶπεν, διασώζεσθαί φασὶ τὸν λογον, Κικέρωνος τοῦ ὑπάτου τοὺς διαφέροντας ὀξύτητι τῶν γραφέων σημεῖα προδιδάξαντος, ἐν μικροῖς, καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων ἔχοντα δύναμιν. εἶτα ἄλλον ἀλλαχόσε τοῦ βουλευτηρίου σποράδην ἐμβαλόντος. οὔπω γὰρ ἤσκουν, οὐδ' ἐκέκτηντο τοὺς καλουμένους σημειογράφους. ἀλλὰ τότε πρῶτον εἰς ἴχνος τι καταστῆναι λέγουσιν. *Hanc ſolam ex iis, quas Cato dixit, ſervari ferunt orationem, quum Cicero Conſul præſtantes celeritate ſcriptores notas prædocuiſſet, quæ parvis, & brevibus figuris multarum literarum vim haberent; deinde alium alibi in Curia ſparſim diſpoſuiſſet; nondum enim inſtituebant, neque ſibi paraverant eos, qui Notarii appellantur; ſed tunc primum ejus rei ſignum aliquod apparuiſſe ferunt*. Aſconius etiam tradit, orationem, quam Cicero pro Milone dixit, quæque adhuc Aſconii ætate extabat, fuiſſe notis exceptam; alteram vero, quam nunc habemus, a Cicerone poſtea ſcriptam, illa multo abſolutiorem eſſe. *Notarum uſus erat*, inquit Iſidorus *Orig. lib. I. cap.* 21. *ut quidquid per contentionem, aut in judiciis diceretur, librarii ſcriberent complures ſimul adſtantes diviſis inter ſe partibus quot quiſque verba, & quo ordine exciperet*. De iis, qui acta Præſidum notis excipiebant, nonnulla Ammianus habet *lib.* XIV. Modeſtinus *in l. Inter eos* 33. *§.* 1. *ff. ex quibus cauſſ. major*;, *Eos*, ait, *qui notis ſcribunt*

bunt acta Præſidum reipublicæ cauſſa non abeſſe certum eſt: etenim commodi ſui cauſſa operam Præſidibus navabant, ideo nec reip. cauſſa abeſſe credendi erant, nec ex eo Edicto reſtituendi, ut recte docet Ant. Faber *in Ration. ad eam l.* 33. quemadmodum nec ii, qui legationes liberas a Senatu impetrabant, aut privati ornamenti, aut privatæ rei gratia *l. Reipublicæ 36. ff. eod. l. Qui libera* 14. *ff. de Legationib.* quod etiam animadvertit Gerard. Noodt *in Comm. ad tit. Pand. ex quib. cauſſ. major*. Actorum ejuſmodi, quæ ſæpe notis, ut videtur, excipiebantur, complura exempla habemus apud Ruinartium; nonnulla in Pandectis extant, veluti apud Scævolam *in l. penult. ff. de auct. & conſ. tutor. & cur.* ubi referuntur acta quædam inter curatorem pupilli & creditorem facta apud Procuratorem Cæſaris „ *Priſcus Procurator Cæſaris dixit: faciat judicata: Novellus curator dixit: abſtineo pupillum: Priſcus Procurator Cæſaris dixit: Reſponſum habes, ſcis quid agere debeas*„. Similia actorum apud Principem exempla dabunt Marcellus *in l. pen. ff. de his, quæ in teſtam. delentur*; Calliſtratus *in l. pen. ff. ad L. Jul. de vi priv.* Demum quæcumque res veloci manu ſcriptis mandanda eſſet, notis adhibitis quam citiſſime deſignabatur, quum potiſſimum accederet mira quædam ſcribentis celeritas longo certe uſu comparata. De Tito Suetonius *in ejus vita cap. III.* „ *e pluribus*, inquit,

quit, *comperi notis quoque excipere velociſſime* ſolitum. Præter Manilium ſuperius laudatum, Martialis *lib.* XIV. 184.

Currant verba licet, manus eſt velocior illis,
Nondum lingua ſuum dextra peregit opus.

Eleganter Divus Baſilius in Epiſtola ad Notar. *οἱ λόγοι τὴν φύσιν ὑπόπτερον ἔχουσι: διὰ τοῦτο σημείων χρῄζουσιν, ἵνα ἱπταμένων αὐτῶν λάβῃ τὸ τάχος ὁ γράφων*., *Sermones alatæ naturæ ſunt: ideo notis opus habent, ut ipſorum volantium celeritatem ſcriptor aſſequatur*. Ad celeritatem quoque licet multo minorem ea verborum compendia pertinent, quæ abbreviationes vulgo dicuntur, & quoniam literis conſtant communi conſenſu receptis, longe diſtant a notis, nec unicam tantum, ut Sigla, ſed plures literas continent, non omnes tamen, quas integra dictio requireret.

CAPUT IV.

Earumdem Conſtitutionum loca ſuperius allata explicantur. Quid Siglorum appellatione ibidem contineatur. Teſtamentum parentis inter liberos ὁλογράμματον ex Nov. 107. *cap.* 1. *Pœna ſi quis adverſus eas Conſtitutiones faxit*.

PLuribus differentiis veluti in anteceſſum propoſitis, illud eſt hujus inſtitutæ ſcriptionis ac temporis inveſtigare, an ſuperiore Juſtiniani prohibitione tantummodo Sigla proprie ſic appellata, an vero & notæ, & abbrevia-

viationes quælibet contineantur. Ac proculdubio adfirmari poſſe videtur, Imperatorem hæc omnia a Pandectis arcere voluiſſe. Ad primas dictionum literas, veluti I. E. *judex eſto* prohibitionem illam pertinere S. Iſidorus recte exiſtimavit, quippe de hujuſmodi literis, quæ *verborum ſuorum notæ ſunt*, ita ſcripſit *Origin. lib. I. cap.* 22. *Has juris notas novitii Imperatores a Codicibus legum abolendas ſanxerunt: quia multos per has callidi ingenio ignorantes decipiebant; atque ita juſſerunt ſcribendas in legibus literas, ut nullos errores, nullas ambages afferant, ſed ſequenda, & vitanda aperte demonſtrent.* Minime dubitandum videtur, quin Hiſpalenſis Epiſcopus dum novitios Imperatores memoravit, Juſtinianum intellexerit, poſt cujus obitum quinquaginta fere elapſis annis florebat. In Hiſpaniam vero perveniſſe Juſtinianeas leges, argumento illud eſt, quod maxima Hiſpaniæ pars uſque ad Leovigildum, qui regnare cœpit anno fere 567. Græco parebat Imperio, atque omnino Romani Juris auctoritas extincta ibidem fuit anno 657. ut recte conjicit Donatus Aſtenſis *dell' uſo, e autorità della ragion civile lib.* 1. *cap.* 8. *pag.* 161. Mirum videri poterit Iſidorum ipſum *Orig. lib.* v. *cap.* 1. ubi legum conditores refert, nullam Juſtiniani mentionem habere: Diſtinguit a legibus antiquis novas, quas a Conſtantino Cæſare cœpiſſe tradit, deinde Gregorianum, Hermogenianum,

num , & Theodoſianum Codicem nominat: de Juſtinianeis collectionibus ac Novellis οὐ-χὺ. Fortaſſe recentiores ipſas omiſit, quarum recens memoria erat, quaſi nec quiſquam fere eſſet, qui editos a Juſtiniano libros ignoraret; ideo novitios Imperatores quaſi noviſſimos dixit ex Alfeni ſententia (utcumque ab A. Gellio improbata *Noct. Att. lib.* VI. *cap.* 5.) quum augere, atque intendere vellet novi ſignificationem.

Neque ſolum prohibuiſſe videtur Juſtinianus, ne dictiones integras prima dumtaxat litera librarii indicarent, ſed multo etiam magis ne notis in ſpecie ſic appellatis Pandectas deſcriberent. Sane Siglorum appellatione Juſtiniani ævo etiam notæ comprehendebantur; idque ex eo conjici poteſt, quod quæ Græco prorſus nomine σημεῖα dicta ſunt, Latino ad Græcorum formam prolato vocabulo σίγγλας tunc temporis nuncupabant: En ipſius Triboniani verba in Conſt. Δέδωκεν §. 22. „ καὶ κατὰ τῶν σημείοις τισὶν ἐν τῇ γραφῇ χρωμένων, ἅπερ σίγγλας καλοῦσιν „ *& adverſus eos, qui notis quibuſdam in ſcriptura utuntur, quas ſinglas vocant*: Quo quidem loco τὰ σημεῖα non tam pro primis dictionum literis, quam pro notis potiſſimum accipi videntur: Græce notas σημεῖα dici jam ſuperius innuimus, & in Synopſi Baſilic. *lib.* XXXV. *tit.* 21. *cap.* 33. *pag.* 526. quod Paulus JC. de Notis dixerat *in l. Lucius* 40. *in*

 princ.

princ. ff. de Teſtam. milit. Id ita effertur *δεχόμεθα τὰ σημεῖα εἰς διαθήκην, admittimus notas in teſtamentum*. Quæ vero Sigla numerorum *in Conſt. Deo auctore §. penult.* dicuntur, nil aliud eſſe videntur, quam notæ numerales. Interdum tamen ſequiore etiam ætate generalis τῶν σημείων appellatio Sigla proprie dicta complectebatur. Magnonis liber de notis, quo Sigla quamplura continentur, Carolo Regi hoc diſtico dicatus eſt.

Hæc juris σημεῖα libens Rex accipe Carle,
Offert devotus quæ tibi Magno tuus.

Præterea non ſigla tantum, ſed & notæ & abbreviationes ſcripturam conturbant, qua voce utitur ea Conſt. Δέδωκεν Juſtinianus. Ad ſigla, notas, monogrammata, abbreviationes, aliudve quid ſimile ratio illa pertinet, quam ipſe affert *d. Conſt. Deo auctore, §. penult.* his verbis „ *ne autem per ſcripturam aliqua fiat in poſterum dubitatio*„. Ea omnia ſunt *compendioſa ænigmata*, quæ ibidem ille averſatur, & *per compendium ipſi legum interpretationi, vel compoſitioni maximum afferunt diſcrimen:* ut eſt *in Conſt. Omnem §. Illud*; adeo ut „ *divinantibus magis, quam interpretantibus* „ opus ſit, quemadmodum Imperator idem ait *Nov.* 107. *in Præfat.* ac ridiculum proculdubio fuiſſet ſigla vetare, notas autem, & abbreviationes aliave compendia permittere, quum vel hæc ipſa ſæpenumero tenebras offundant clariſſimis alioqui legibus,

bus, & cuivis etiam perito ancipitem cogitandi curam relinquant. Id apertiſſime teſtantur quamplura doctiſſimorum hominum non in ſiglis modo, verum etiam in notis explicandis diſſidia, veluti quum alii notam illam ϛ quinarium numerum, alii *τὸ κόππα*, ſeu nonagenarium, recte alii ſenarium deſignare putarunt. Quam ſæpe in errorem induxerint ſigla, notæ, literarum compendia male percepta ab imperitis librariis, quorum erat Davum potius agere, quam Oedipum, referre ſuperſedeo.

Illud etiam accedit, quod omnia hæc ab eo ſcribendi genere, quod Juſtinianus jubet, maxime abhorrent: vult enim Pandectas *per literarum conſequentias* ſcribi, *dicta Conſt. Deo auctore* §. *penult. d. Conſt. Tanta*, §. 22. pœnaque eos coercet, qui *μὴ δι' ὅλου τοὺς τὲ ἀριθμοὺς, τάτε ὀνόματα τῶν πάλαι σοφῶν, τήν τε ὅλην νομοθεσίαν γράφουσι* ... *non per totum numeros, & nomina veterum prudentum, & totam legum poſitionem ſcribunt*. Qui notis & abbreviationibus utitur, is certe non *per conſequentias literarum*, non *δι' ὅλου* ſcribit: quod ſane apertiſſimum eſt. Ita quoque teſtamentum parentis inter liberos, etſi in eo plura teſtamentorum ſolemnia relaxentur, *ὁλογράμματον* tamen ſit, neceſſe eſt: jubet enim Juſtinianus *Nov.* CVII. *cap.* I. nomina filiorum, propria patris manu, qui literas ſciat, præterea uncias, ex quibus ſcribit eos

heredes, non ſignis numerorum, *μὴ τοῖς συμβόλοις τῶν ἀριθμῶν* deſignari, ſed per totas literas *δι᾽ ὅλων γραμμάτων* declarari. Quæ hic Imperator *σύμβολα τῶν ἀριθμῶν* dixit, eadem *in laud. Conſt. Deo auctore §. penult.* „ *Sigla numerorum* „ vocaverat. A Galeno *σημεῖα τῶν ἀριθμῶν* dicta ſunt: ſic enim ſcripſit *περὶ ἀντιδότων lib. 1. c. 5. in fine*: *τὰ γὰρ δὴ βιβλία τὰ κατὰ τὰς βιβλιοθήκας ἀποκείμενα, τὰ τῶν ἀριθμῶν ἔχοντα σημεῖα, ῥαδίως διαστρέφεται ... libri vero, qui in Bibliothecis repoſiti ſunt, & numerorum ſigna habent, facile depravantur*. Hujuſmodi erroribus ut occurreret Menecrates, librum ſcripſit, quo nullæ numerorum notæ continebantur, eique idcirco hanc epigraphen adjecit Ὁλογράμματα Αὐτοκράτορος *Hologrammata Imperatoris*, ut eodem loco Galenus teſtatur.

Ea quoque de cauſſa Juſtinianus *ὁλογραμμάτους* eſſe voluit Pandectarum libros, ac ſi quis adverſus eas Conſtitutiones faceret, ei falſitatis pœnam irrogavit, gravem eam quidem & impenſe acerbam, quæ facile oſtendit, quo animi propoſito, & quam acri ſtudio Imperatori conſilium eſſet cavere, ne ſiglorum, notarumve cacoethes in Pandectas irrueret. Quum enim grave admodum ſit liberum hominem Romanam civitatem, atque adeo patriæ poteſtatis, teſtamenti, legitimarum hereditatum jura amittere, ſpoliari bonis, fortuniſque omnibus, licet ipſi eorum, quæ poſtea adquiret,

uſusfructus concedatur, nervo, aut compedibus vinctum in certam inſulam deportari, ibidemque perpetuo manere, his omnibus, quæ deportationis propria ſunt *l. Sunt quidam* 17. *ſ.* 1. *ff. de pœnis*, *l. Inter 6. in princ. l. Deportatus* 15. *ff. de Interd. & releg. l. Deportatorum* 8. *C. de Pœnis*, eum coerceri Juſtinianus voluit, qui ſigla, notaſve in conſcribendis Pandectis adhiberet; imo vero ſi ſervus eſſet, ultimo ſupplicio damnari: nimirum falſitatis pœna in ſervos ultimum ſupplicium eſt, in liberos vero deportatio *ſ. Item* 7. *Inſt. tit. de Publ. Judic.* Et quoniam *ea, quæ lege fieri prohibentur, ſi fuerint facta, non ſolum inutilia, ſed pro infectis etiam habentur, l. Non dubium* 5. *C. de legib.* omnem idcirco in judiciis fidem & auctoritatem haud immerito ſuſtulit Juſtinianus iis Pandectarum voluminibus, quæ ſigla in quacumque ſui parte vel ſemel tantum contineant. Jam vero quum hujuſmodi librorum domino damnum exinde inferatur, eorum æſtimationem in duplum conſequi idem poterit, *ſi ignorans tales libros vel comparaverit, vel confici curaverit*. Atque adeo ſane quæ duo in coercendis delictis legiſlatori animadvertenda ſunt, nempe ut Grotius ait *de Jure B. ac P. lib.* I I. *cap.* 17. *ſ.* 22. actus vitioſitas, & effectus, ut illi pœna, huic damni reparatio reſpondeat, ea diligenter hiſce Conſtitutionibus Tribonianum obſervaſſe compertum eſt.

CAPUT V.

Librarios, qui Florentinum Exemplar conſcripſerunt, Juſtinianeis Conſtitutionibus non ubique penitus paruiſſe oſtenditur: unde conjectura eſt, illud non eſſe Juſtiniani Archetypum. Ejuſdem Exemplaris ætas.

JAM quæ fuerit Imp. Juſtiniani ea de re mens, quæ cura, quæ ſollicitudo, ſatis ſuperque hactenus expoſitum eſt; ſequitur, ut ordine videamus, utrum Florentini Exemplaris ſcriptores, plures enim eos fuiſſe Ant. Auguſtinus *Emendat. lib.* IV. *cap.* 2. & Brencmannus *Hiſt. Pand. lib.* I. *cap.* 3. optime conjecerunt, iis Conſtitutionibus diligenter paruerint. Ac nulla quidem in eo Sigla in ſpecie ſic dicta inveniri teſtatur idem Brencmannus *αὐτόπτης lib.* II. *c.* 3. *p.* 120. Verum in tit. de legibus, aliiſque locis adverſus Juſtiniani ſanctionem numeri librorum notis deſignati ſunt, eodemque titulo Ꝃ pro *καὶ* legitur. Quin etiam *in l.* 13. *eod. tit.* habetur liBRoIadedmaedilium pro *libro primo ad Edictum Ædilium*: ſed jam olim correctum fuerat, pleniſque literis perſcriptum. Notæ etiam numerales extant in inſcriptionibus *l.* 25. *de Heredib. inſtit. l. ult. ad S.C. Trebell. l.* 6. *de Confeſſis l.* 16. *de Legationibus*: quas quidem obſervationes diligentiſſimo Brencmanno debemus, qui alia exempla in toto Exemplari ſe non deprehendiſſe fatetur. Aliter ſe res habet

bet in Alariciano Codice Wurceburgenſi, quem Eccardus *Rer. Franc. lib.* 23. *pag.* 452. Pandectis Florentinis ætate parem, ſi non ſuperiorem, Cl. Ritter *in epiſt. ad Lectorem præfixa Codici Theodoſiano Lipſiæ edito*, illis proculdubio antiquiorem exiſtimavit. Multa in eo ſunt, eodem Rittero teſte, literarum compendia, nomina propria decurtata, ſigla demum, veluti ĀD̄. *Auguſtus dixit*; ſed quamvis Notæ, quas extare diximus in Florentino Exemplari, perpaucæ ſint, nulliuſque fere momenti, adverſantur tamen iis Juſtiniani verbis *κἂν εἰ πρὸς ἅπαξ εἴν τοῦτο γενόμενον ... etiamſi ſemel ſit hoc admiſſum*. Interim duo hæc liceat colligere: Primum nempe, Juſtiniani, ſeu Triboniani autographum, ſive archetypum illud Exemplar non eſſe, in quo ſanctiones de ratione deſcribendi Pandectas ab ipſo Imperatore conditæ, tanta ſeveritate munitæ, inculcatæ ſæpius, ac ſumma ſollicitudine toties confirmatæ, interdum etſi perraro, negliguntur tamen, adeout ſi nondum illæ in deſuetudinem abiiſſent, idipſum Exemplar nulla in judiciis auctoritate polleret: Alterum vero, quum raræ admodum in eo notæ, & abbreviationes deprehendantur, non multo poſt ipſius Juſtiniani mortem, iiſque Conſtitutionibus nondum penitus obſoletis idem deſcriptum fuiſſe. Quæ quidem doctiſſimorum virorum Antonii Auguſtini *lib.* 1. *Emend. cap.* 1. Antonii Contii *lib.* 1. *diſput. c.* 6.

Franciſci Taurelli *ad Lector. ante edit. Flor.* Petri Lambecii *in Commentar. de Biblioth. Cæſar. Vindobon. lib.* I. *cap.* 19. & Brencmanni *Hiſtor. Pand. lib.* II. *cap.* 3. ſententia perquam veriſimilis eſt. Vetuſtatem enim Etruſci Exemplaris complura teſtantur, literarum forma, quæ Græcæ, ac Romanæ veteri Scripturæ proxime accedit, niſi quod quædam a Gotthis accepta videntur, ut recte monet Ant. Auguſtinus *in Præfat lib.* I. *Emendat.*; rariſſima dictionum intervalla, nullæ plerumque interpunctiones, Græca ſine ullis accentuum notis, quæ ubi adjectæ ſunt, recentior manus aperte dignoſcitur. Et ſane in antiquioribus Mſs. aut conjunctionem illam vocum ſine intercapedine ulla occurrere, aut punctum poſt omnes voces, vel poſt ſingulas dumtaxat clauſulas additum eſſe, omnes norunt, qui hujuſmodi exemplaria verſare ſolent: quod & præ ceteris teſtantur Cl. Montfauc. *Pal. Græc. lib.* I. *cap.*4. & Joh. Clericus *art. Crit. P.* III. *Sect.* I. *cap.* 10. §.2. Diſerte etiam Joh. Morinus ait in exercit. XII. de Hebræi Græcique textus ſinceritate *num.* 5. „ *Antiquos tam Græcos, quam Latinos continua literarum ſerie ſcripſiſſe, nullis ſuper, aut inter verba diſtinctionibus, aut accentibus adſcriptis*. Deinde vero, *Magna*, inquit, *pars librorum, qui ante centum ſupra mille annos ſcripti ſuperſunt, eſt iſtiuſmodi*. Quamvis enim Ariſtophanes Byzantius Grammaticus Olympiade 145. ſub Ptolemæo

mæo Epiphane Ægypti Rege accentuum, & ſpirituum formas invenerit, & quo loco eſſent conſtituendi, docuerit, a librariis tamen ante VII. ſæculum negligebantur, ut laudatus Montf. obſevat *d. cap.*4. Quamobrem haud immerito doctiſſimi plerique Viri Florentinum Pandectarum Exemplar VI. vel VII. ſæculo exaratum putarunt. Brencmannus enim *lib.* II. *cap.* 2. *pag.* 106. circa A. D. DLXXII., certe non ita multo poſt conſcriptum exiſtimat: Mabillonius *de re diplom. lib.*V.*tab.*6. illud inter libros ſæculo VI. ſcriptos accenſuit: Initio ſæculi VII. idem adſcripſit laudato ſuperius loco Lambecius: Em. Noriſius fere poſt dimidium ſæculi VII. ſcriptum eſſe judicabat: ſic enim ſententiam ſuam protulit *in Cenotaph. Piſ. Diſſ.* IV. *cap.* 6. *In Pandectis ante mille annos, & quod excurrit, majori Romana litera exaratis ubique legitur* ſolemne.

CAPUT VI.

Conjecturæ aliæ, quibus comprobatur, Flor. Exemplar non eſſe Prototypum Juſtiniani. Exemplaris ejuſdem menda, & lacunæ.

PRæter ſuperiorem illam ex Juſtiniani Conſtitutionibus ductam, aliæ quoque afferri conjecturæ poſſunt, quibus facile oſtenditur, Florentinum Pandectarum Exemplar Imperatoris ipſius Archetypum non fuiſſe. Nam ut ſingula librariorum menda prætercam, quæ in illud

illud irrepſere, & quæ poſtea ad alicujus libri exemplum correcta videntur, quemadmodum ſentiunt Ant. Auguſtinus *lib.*1. *Emend. cap.*1. *in fine*, & Contius 1. *diſput.* 6. & 1. *Subſeciv.*8. diverſa manus, diverſumque atramentum, quo factæ ibi ſunt emendationes, aliæ, ut licet conjecturis aſſequi coævæ, aliæ recentiores, ut obſervat Brencmannus *lib.*1. *cap.* 3. *in fine*, Politiani ſententiam refellunt exiſtimantis *Miſcellan. cap.* 41. emendationes illas ab ipſo Triboniano prodiiſſe. Jam ſi quis lacunas, quæ in eodem Exemplari habentur, animadvertat, Archetypum illud eſſe, haud facile exiſtimabit. Interdum enim in alicujus capitis, ſeu legis contextu non modo aliquot verba, ſed integri etiam verſus a librariis omiſſi ſunt, veluti *in l. Quintus* 27. §. *Cui legatum* 4. *de Auro, Argento, Mundo leg.* Florentiæ hæc leguntur „*Cui legatum eſt aurum omne, quod ſuum eſſe* (legendum *eſſet*) *cum moreretur, vindicare potuit ſuum eſſe*„. Quædam hic deſunt, quæ felici conjectura quondam reſtituta fuere in vulgatis, nempe hæc poſt ea verba *cum moreretur* addenda eſſe haud immerito viſa ſunt „ *ejus omne aurum fiet, quod tunc paterfamilias cum moreretur* „. In fine tituli *de Bonis damnatorum* lex 7. abſoluta non eſt, ſed pars columnæ, & integra ſequens pagina vacua manet, Brencmanno ipſo teſte *l.* 11. *cap.* 5. & quatuor leges ibidem deſiderantur, quas Cujacius *lib.* VI. *obſ. cap.* 23. ex libro LX. Baſilicor. reſti-

reſtituit. Ita etiam in fine Tituli *de Interdictis*, *& Relegatis* exarandæ ſuperſunt unius columnæ duæ tertiæ partes, integra etiam columna altera, denique tertia pars primæ columnæ folii adverſi, ut locupletiſſimus auctor Brencmannus idem laudato loco teſtatur; adeoque duarum veluti columnarum ſpatium relictum eſt, ac revera deſunt leges decem, quas in editione ſua Ant. Contius ex Latino Baſilicorum libro LX. Cujacii, poſt *legem* 9. *de Interd. & Relegatis* repoſuit; ſed ut animadvertit Leunclavius *notator. lib.* I I. *num* 118. *Theſ. Jur. tom.* I I I. *col.* 1529. quia Contius Græca non viderat, vitium quoddam typographicum *in l.* 15. *§. Deportatus* I. in ſuam quoque transfudit editionem, quippe edidit *ſive principe*, quum in Baſilicis habeatur χωρὶς βασιλέως, *ſine principe*. Omnes autem laudatas leges quatuordecim, quæ in Florentinis Pandectis, aliiſque deſunt, Carolus Annibal Fabrotus poſt XII. exercitationem, Græce & Latine ex verſione Cujacii ex libro LX. Baſilicorum *tit.* 52. *&* 54. edidit; atque *in Theſ. Jur. tom.* I I I. *col.* 1229. *& ſeq.* habentur. Denique & illud non omittendum, quod Brencmannus tradit, poſt titulum *de Bonis damnat.* ac titulum *de Interdictis*, *& Relegat.* in Florentinis Pandectis *quadam adnotata eſſe defectum proculdubio denotantia, ſed qua præ vetuſtate diſcerni amplius nequeunt*. Quamobrem præter illas Juſtiniani Conſtitutiones, quibus libra-

librarii in Florentino Exemplari deſcribendo non omnino paruerunt, ſive ea ſpectentur, quæ mendoſe ibidem ſcripta ſunt, ſive ea, quæ perperam ſunt omiſſa, vix ac ne vix quidem probabile videri cuiquam poterit fuiſſe illud Imperatoris ejuſdem, ſive Triboniani quis mallet, archetypum.

CAPUT VII.

An Pandectarum exempla, quæ ſupereſſe noſcuntur, omnia ex Florentino Exemplari originem duxerint. Affirmantium opinio, Græcis libris exceptis, præfertur. De perturbato in poſtremis Exemplaris ejuſdem chartis conglutinandis ordine. Ejus erroris ſchema. Haud rectum eſſe earum chartarum ordinem oſtenditur.

SEd jam ad ſuperius propoſitam ſecundo loco quæſtionem conſentaneum erit accedere, quæ plurimum dubitationis habet, & in qua pertractanda doctiſſimorum hac noſtra etiam ætate virorum non unum idemque eſt judicium. Quæritur nempe, an libri Pandectarum, qui extant, vel quos extare novimus, omnes e Florentino Exemplari manaverint. Ac mihi quidem rationum, quæ utrimque afferuntur, momenta accurate perpendenti, tametſi præſtantiſſimi Viri Cujacius, Chriſtianus Hoffmannus, Van Eckius, Schultingius, ac noviſſime etiam Donatus Aſtenſis, Grandius, Tanuccius, Chriſt. Gottl. Schwartzius, Wielingius

lingius id negent, firmiſſimis tamen argumentis inniti ſemper viſa eſt Lælii Taurelli, & Antonii Auguſtini ſententia (Franciſco Balduino, Lud. Miræo, Frehero, Thuano, Hilligero, Alberico Gentili, Duckio, Ulrico Hubero, Reinoldo, Burchardo Struvio, Brencmanno etiam probata) qua conjicitur, omnes, quos extare novimus, Pandectarum libros ex hoc ipſo, de quo agimus, Florentino Exemplari originem duxiſſe. Idque in primis oſtendit inſignis ille error, quo conglutinator librarius, ſive ut unico verbo cum Comneno in deſcriptione Montis Atho loquar, βιβλιοδέτης, poſtremas ſecundi voluminis chartas, quæ diſſolutæ erant, perperam tranſpoſuit, atque adeo penultimæ loco eam collocavit, quæ antepenultima eſſe debuerat. Omnium primus erratum hoc animadvertit Lælius Taurellus, ac de eo ſcripſit in Epiſtola ad Franciſcum filium, ante Commentarium ad Gallum, & *L. Vellejam Theſ. Jur. tom.* IV. *col.* 1603., oſtenditque idem Antonio Auguſtino, ut hic teſtatur *lib.* I. *Emend. cap.* I. Itaque quum eadem ordinis inverſio in Digeſta omnia ſive manu exarata, ſive typis ante Lælium Taurellum edita invaſerit, neque ullum adhuc, ſi edita poſt Lælianam illam obſervationem excipias, exemplar prodierit, in quo error idem non deprehendatur, haud levis profecto conjectura eſt, omnia, quæ habentur, Pandectarum exem-

exempla e Florentino manuſcripto dimanaſſe: Quod tamen de Græcis libris, quibus Pandectarum interpretatio aut Paraphraſis continetur, minime ſentiendum eſt; tum quia licet Florentino Exemplari longe ſint poſteriores, tamen concinnati magna ex parte videntur & verſione κατὰ πόδα Thalelæi, quem Juſtiniano σύγχρονον fuiſſe ferunt; tum quia, ut animadvertit Ant. Contius *Diſp. cap. 6.* in iis capita, ſeu leges tituli *de Regulis Juris* eo ordine collocatæ ſunt, quo diſpoſitæ fuerant in Florentino ipſo Exemplari antequam tres ultimæ ejus paginæ tranſponerentur.

Neque vero in dubium vocaverim, quin hæc membranarum trajectio in Florentino libro extet: nam præter ſummam Taurelli & Auguſtini integritatem ac fidem, illam ipſam deprehendit Henricus Brencmannus, ut conſtat ex *Hiſt. Pand. lib.* I I. *cap.* 2. eamdemque ego ipſe diligenter animadverti, quum primum doctiſſimi Viri de veteribus monumentis optime meriti Ant. Franciſci Gorii operâ pridie Nonas Auguſti anno 1732. præſtantiſſimum illud, ut Jac. Gothofredus ait, Juriſprudentiæ ancile conſpexi. Error autem hujuſmodi eſt. Quinque ſecundi voluminis extremæ chartæ ita compactæ ſunt, ut earum prima & ſecunda, quemadmodum & quinta, recte ſe habeant: verum in tertia, & quarta erravit βιβλιοδέτης, qui tertiæ loco quartam conglutinavit.

tinavit. Etenim tertiæ chartæ poſtrema eſt Lex *Non poteſt, de Regulis Juris*, in qua ſunt hæc verba ... *non poteſt dolo carere qui imperio magiſtratus non* ...Quintæ chartæ initio ante *l. Quoties nihil* veſtigia conſpiciuntur verbi *paruit*, hoc modo, RUIT, quod ſane verbum extremo quartæ chartæ non cohæret, quam claudunt ultima verba legis *ad ea*, nempe hæc ... *In contractibus ſucceſſores ex dolo eorum, quibus ſucceſſerunt, non tantum in id, quod pervenit, verum etiam in ſolidum tenentur: hoc eſt unuſquiſque pro ea parte, qua heres eſt* ... adjectaque ſunt, ut in fine aliarum legum, duo puncta. Sed quo luculentius id omne exponatur, eorum ſchema, quæ tum in principio, tum in fine tres illæ chartæ habent, oculis animoque ſubjiciendum videtur.

Initium tertia charta ſumit a *l. Creditor*
Deſinit in hæc verba
Idem libro ſexto epiſtularum. Non poteſt dolo carere qui imperio Magiſtratus non

Quarta incipit a *l. Qui in ſervitute*
Deſinit in hæc verba *legis ad ea*
. . . . *hoc eſt unuſquiſque pro ea parte, qua heres eſt*:

Quinta incipit ab hac voce
RUIT
Idem libro ſeptimo epiſtularum. Quoties. nihil . . . .

Extre-

Extremis igitur verbis legis *Non poteſt*, ac tertiæ adeo chartæ aptandum proculdubio eſt initium quintæ, hoc eſt vox illa *paruit*; quam deinde ſequitur lex *Quoties nihil*: Ita etiam poſt legem *Ad ea*, quæ poſtrema eſt quartæ membranæ, & in hæc verba deſinit *heres eſt*, collocetur oportet lex *Creditor*, tertiæ nimirum chartæ principium.

Accedit firmiſſimum Antonii Auguſtini argumentum *lib.* 1. *Emend. cap.* 1. quo mirifice comprobatur, erraſſe eum, qui poſtremas illas membranas compegit. Lex *Ad ea* ſumta eſt ex libro LXXI. Ulpiani ad edictum, quemadmodum ex ejuſdem legis inſcriptione apparet; ſi poſt eam collocanda eſſet lex *Quoties nihil*, ut per ſummam conglutinatoris incuriam in MS. Florentino collocata eſt, ſumta eſſet eadem lex *Quoties nihil* ex libro ſeptimo Epiſtolarum Ulpiani, quoniam in ejus inſcriptione legitur: *Idem libro ſeptimo Epiſtolarum*. Verum in Indice, qui in illo ipſo Exemplari habetur, & in quo nomina Juriſconſultorum, eorumque libri recenſentur, ex quibus compoſitum eſt Pandectarum Syntagma, nullus profecto liber Epiſtolarum Ulpiani refertur. Ex adverſo autem ſi ea lex *Quoties nihil* continuo ſcribatur poſt legem *Non poteſt*, ita uti ſcripta eſſet, niſi membranæ illæ perperam compactæ eſſent, inſcriptio hæc... *Idem libro ſeptimo Epiſtularum*... ad Javolenum IC. tum pertinebit, cujus extant duæ

duæ leges, quæ *ἀμίσως* antecedunt. Ipſi autem Javoleno quatuordecim libri epiſtolarum in eodem Indice tribuuntur. „ *Javolenu Epiſtolon* *βιβλια δεκατεσσαρα* „. Conſtat igitur, legi *Non poteſt* conjungendam eſſe vocem illam *paruit*, ideo quæ antepenultima charta eſt, penultima eſſe debet. Quamobrem haud immerito quinque illis conglutinatis chartis numeri ſuperius appoſiti ſunt ad oram exteriorem hoc pacto 1. 2. 4. 3. 5., idque probabile eſt, a Taurello profectum eſſe, ut ait Brencmannus *lib.* 11. *cap.* 1. *in fine*.

CAPUT VIII.

Perturbatus idem ordo in ceteros Pandectarum libros invectus. Aliena manus in vulgatis deprehenditur in l. Non poteſt ff. de Reg. Jur. Variæ lectiones in l. Ad ea ff. eod. Duorum titulorum trajectio in libro XXXVII. *Pand. e Florentino MS. in ceteros libros derivata.*

PRæpoſterum vero illum ordinem in manuſcriptis omnibus, & impreſſis ante Taurelli ætatem libris ſervatum fuiſſe Viri docti teſtantur. Lælius Taurellus in Epiſtola ad filium præmiſſa Commentario ad Gallum & L. Vellejam ita ſcripſit. *Qua perverſi ordinis ſerie Digeſtorum libri titulo de Diverſis regulis Juris antiqui jam inde ante Accurſium paſſim leguntur*; & Ant. Auguſtinus *Emend. lib.* 1. *cap.* 1. „ *Ex his apparet errorem Piſani librarii omnes librarios*

ſequutos, & negare audeo extare aliquem Digeſtorum librum, quo non idem error ſit ,, . Piſanum tamen fuiſſe librarium, qui in iis membranis compingendis erravit, equidem cum Ant. Auguſtino pro certo adfirmare non auſim: forte enim inſigne hoc Exemplar antequam Piſas tranſlatum eſſet, ac certe antequam ex hoc uno ceteri libri fluxiſſent, perturbatum illum ordinem in ſe receperat. Sed hoc in præſentia ὁδῶ πάρεργον. Ait quoque Ludov. Miræus ante corpus Juris A. 1552. *Nam quæcumque hactenus excuſa ſunt Digeſtorum exemplaria, tum Mſ. quæ quidem mihi videri contigit, haud dubie ab iſtis libris originem velut per traduces ducere videntur. Quod quidem ineluctabili argumento ita eſſe ex tribus chartis poſtremis &c.* Fuerunt tamen, Contio teſte *Diſput.cap.6.*, nonnulli, qui quaſi pro fabulis habebant quod Taurellus, & Ant. Auguſtinus ſcripſerant, propter præpoſtere concinnatas poſtremas illius exemplaris paginas capita tituli *de Regulis Juris* perperam hodie in omnibus Pandectarum Codicibus eſſe tranſpoſita: prædicabant præterea poſſe reperiri quædam exempla, quæ eam capitum tranſpoſitionem non haberent. Quamobrem licet ipſe Contius de Ant. Auguſtini, & Taurelli fide non dubitaret, *tamen*, inquit, *& quotquot potui exemplaria Mſ. conquiſivi, ut quoad fieri poſſet, oculatus eſſem eorum, quæ vera affirmaverant, teſtis*. Addit deinde numeroſa diverſis in locis ac

ac Bibliothecis exemplaria inſpexiſſe, & quinque ſibi comparaſſe, reperiiſſe autem in iis omnibus titulum de *Reg. Jur.* ſimili præpoſteratione tranſpoſitum. *Itaque*, ſubjicit, *mihi jam certiſſimum eſſe perſuadeo quod illi ſcripſerunt, omnia, quæ extant, Pandectarum volumina ex Florentino veluti archetypo eſſe deſcripta*. Neque hactenus, quod ſciam, vel ab iis, qui contrariam ſequuti ſunt ſententiam, exemplar ullum prolatum eſt, in quo non idem error deprehenderetur. Quod vero ſcripſit Cl. Grandius *in not. ad Epiſt. de Pandectis num.* 29. nempe „ *non enim per omnia prorſus, ſed fere per omnia, inquit Contius, quotquot extant exemplaria is error dimanavit; ergo aliqua ab illo immunia, ideoque non ex Etruſcis libris deſcripta fateri neceſſe eſt*„; id nullam profecto vim habere videtur; nam ſi Contius, qui, ut ipſe fatetur, exemplaria quotquot habere potuit, diligenter inſpexit, unum vel alterum reperiiſſet, quod ab hujuſmodi ordinis inverſione immune eſſet, utique illud ad refellendam Taurelli, & Auguſtini, quam expendere ſibi propoſuerat, ſententiam, indicaſſet; imo vero in allato ſuperius *Cap.6.* nullo dubitationis vel exceptionis ſigno addito, ſed ἁπλῶς affirmavit, omnia, quæ extant, Pandectarum volumina ex Florentino eſſe deſcripta.

In vulgatis autem Digeſtis, quibus adſcriptæ ſunt Accurſii Gloſſæ, quoniam deeſſe aliquid videbatur in laudata *l.Non poteſt ff. de Reg.*

 Jur.

Jur. iis verbis „ *qui imperio magiſtratus non* „ adjectum fuit „ *obtemperat* „ deinde ibidem ſequitur lex *Qui in ſervitute*, cum qua incipit quarta illa membrana in Flor. Exemplari perperam compacta, ſequi tamen debuerat lex *Quoties nihil*, ut jam oſtendimus, & revera ſequitur in editis libris ex Taurelli obſervatione emendatis. Jam vero quoniam & illud perſpicuum erat, vocem *paruit* minime omnium convenire extremis quartæ membranæ verbis, adeoque nec legi *Ad ea*, in cujus fine habetur „ *hoc eſt unuſquiſque pro ea parte, qua heres eſt* „ ſcriptum fuit „ *hoc eſt ut unuſquiſque pro ea parte qua heres eſt* „ adjectumque ab aliquibus τὸ *conveniatur*, atque, ut in fine ipſius legis animadvertit Accurſius, legebatur ab aliis „ *condemnetur* „ ab aliis „ *partiatur* „ Quam lectionum varietatem, & inconſtantiam quiſquis recte animadverterit, ex eo ortam fuiſſe, quod locum illum librarii, vel correctores librorum de ſuo emendare ſtuduerunt.

Errorem alium, qui e Florentino libro in ceteros omnes irrepſerat, animadvertit Ant. Auguſtinus *Emend.l.* I. *cap.* I. Etenim libro XXXVII. Pandectarum poſt titulum *de Dotis Collatione*, qui VII. eſt ejuſdem libri, deſcripſerat librarius titulum *de Ventre in poſſeſſionem mittendo*, deinde Titulum *de Conjungendis cum emancipato liberis ejus*, qui inter eos medius eſſe debuerat: ſed ut præpoſterus ille ordo corri-

geretur

geretur, in margine hæc verba adſcripta fuerunt ad titulum *de Ventre in poſſeſſionem mittendo*, *οὗτος ὁ τίτλος μετὰ τὸν ἑξῆς ἐστίν*: *hic titulus poſt ſequentem eſt*. Et ſane id exigit ordinis ratio ſecundum Edictum perpetuum a Triboniano in Pandectis plerumque ſervata. Ulpianus enim *libro* xli. *ad edictum* ait,, *Sicuti liberorum eorum, qui jam in rebus humanis ſunt, curam Prætor habuit: ita etiam eos, qui nondum nati ſint, propter ſpem naſcendi non neglexit: nam & hac parte Edicti eos tuitus eſt, dum ventrem mittit in poſſeſſionem vice contra tabulas bonorum poſſeſſionis*,, *l.* 1. *in princ. ff. de Ventre in poſſ. mitt.* Idem Ulpianus libro xl. ad Edictum egerat de conjungendis cum emancipato liberis ejus, ut conjicitur ex inſcriptione *legis* 1. *ff. de Conjung. cum emanc. lib. ejus*. Itaque librarii quum adnotationem illam in margine adſcriptam non perciperent, vel negligerent, eos titulos deſcripſerunt eodem plane ordine, quem in Florentino Exemplari deprehenderant, nulla adnotationis illius ratione habita: in omnibus idcirco uſque ad Ant. Auguſtinum libris, poſt titulum *de Dotis collatione* perperam ſcriptus eſt Titulus *de Ventre in poſſeſſionem mittendo*. Alios quoque id genus errores e Florentino in cetera omnia exemplaria derivatos animadvertit doctiſſimus idem Vir *Emend lib* iii. *cap* 1. *&* 3. Confirmari præterea ipſa ſententia poterit ex iis, quæ afferenda jam ſunt, ut argumentis eo-

rum occurratur, qui negant omnia Pandectarum, quæ ſuperſunt, exempla e Florentinis libris profluxiſſe.

CAPUT IX.

Objectio prima adverſus Taurelli, & Auguſtini ſententiam diluitur. Conjecturæ duæ refelluntur, quarum altera a Cl. Donato Aſtenſi, altera a Cl. Grandio adfertur, ad eludendam vim argumenti ducti ex male compactis in Flor. Exemplari membranis.

AC primo illud obſtat, quod ex ea chartarum trajectione haud plane confici videtur, quodlibet exemplum Pandectarum totum & integrum a principio ad finem ex Florentinis libris eſſe deſcriptum, ſed eas tantummodo chartas, in quibus compingendis erratum eſt. Sane Donatus Aſtenſis in præclariſſimo opere inſcripto *Dell'uſo, e dell' autorità della ragion Civile lib.* 11. *cap.* 3. *pag.* 43. exiſtimat, poſtremas illas chartas in Pandectis vulgaribus multo tempore, & uſu adtritas tandem periiſſe, ac deinde reſtitutas eſſe ex Piſano Exemplari, quod ceteris præſtare credebatur; quum autem præpoſtere in eo compactæ illæ eſſent, inde factum, ut in vulgaribus quoque ordo perverteretur. Quam profecto conjecturam vel ex eo inanem dixerim, quod non errorem illum tantummodo, ſed & plures alios ex Piſano Exemplari in vulgares omnes libros fuiſ-

ſe

ſe derivatos deprehendi facile poteſt: Nam, præter non perceptam Græcam illam adnotationem, de qua ſuperius dixi, unde Titulus *de Conjung. cum emanc. lib. ejus* non ſuo loco deſcriptus eſt, etiam lib. XLI. Digeſtorum verba hæc *pro ſoluto*, quæ in Florentini libri margine adſcripta ſunt, occaſionem librariis præbuerunt, ut ex iis Rubricam *Pro ſoluto* conficerent, quæ in omnibus quidem libris extat; eam tamen delendam eſſe, licet id neget Dionyſ. Gothofredus *ad l. Pro ſoluto* 46. *ff. de Uſurp. & Uſucap.*, argumento illud eſt, quod nec in ſecunda, nec in ultima ejus Tituli Lege, ſoluti mentio fiat; ideo quatuor leges, quæ vulgo ſub Rubrica *Pro ſoluto* ſcribi ſolent, ad Tit. *de Uſurp. & Uſucapionib.* pertinent, ut recte conjicit Ant. Auguſtinus *Emend. lib.* III. *c.* I. qui tum eodem capite, tum III. capite ejuſdem libri ſimilia affert, quæ mirifice comprobant, ceteros Pandectarum libros originem e Florentinis duxiſſe. Huc accedit argumentum, quod etiam deſumi poteſt ex lacunis, quæ in Florentino Exemplari habentur poſt Tit. *de Bonis damnator.* & poſt Tit. *de Interdictis & releg.* ut ſuperius dictum eſt *cap.* IV. quæ non niſi ex Baſilicis repleri potuerunt, quum leges, quæ in iis locis deſiderantur, abſint quoque a vulgaribus omnibus ſive manu exaratis, ſive impreſſis. Quæ quidem omnia aperte demonſtrant, nullius momenti eſſe doctiſſimi Aſten-

ſis conjecturam exiſtimantis,poſtremas tantum Pandectarum paginas e Florentino Mſ. eſſe deſcriptas: niſi forte quis exiſtimare velit, ea tantum loca ex ipſo deſcripta fuiſſe, in quibus vel erratum in eo eſt, vel aliquid ibi deſideratur; quod quam ἄτοπον dictu ſit, nemo non videt. Quod ſi quis forte cum Cl. Grandio *in notis ad Epiſt. de Pandect. num.*29. putaret, pleraque vetuſta exemplaria non quidem deſcripta ex inſigni illo Codice, qui Florentinus nunc appellatur, ſed hac in parte a veteribus Juriſconſultis juxta Piſanam literam correcta fuiſſe, conſulto redactis in alium ordinem iis legibus, ut cum Piſano Codice convenirent, haud facile nos in ſuam ſententiam duceret, quum probabile non videatur, adeo ſollicitos fuiſſe veteres illos Interpretes de corrigendo juxta literam Piſanam hoc ſolo Titulo *de Regulis Juris*, ut nullum reperiri poſſit exemplum, quod hac, ſi diis placet, correctione non careat, alios vero titulos Pandectarum, ſeu leges in iis comprehenſas, in quibus multæ magnique momenti variæ lectiones reperiuntur, nullam corrigendi curam habuiſſe.

CA-

CAPUT X.

Antonii Contii conjectura quaedam improbatur. Digeſtum Vetus & novum Bononiam allatum antequam Pandectarum inſigne illud Exemplar Piſis extaret. Oſtenditur etiam partem aliquam, quae antecedit legem Quaerebatur 81. ff. ad L.Falcid. e Florentino Exemplari fuiſſe deſcriptam.

MAjorem, quam Donatus Aſtenſis, Digeſtorum partem e Florentinis libris duxiſſe originem arbitratus erat Ant. Contius, qui in Præfatione ante ſuam Pandectarum editionem putavit, eam ſolum partem, quæ reliqua eſt poſt legem *Quaerebatur* 81.*ff. ad L.Falcid.* ab iis verbis „ *tres partes* „ ex Florentino Codice eſſe deſcriptam.Sententiæ ſuæ rationem unam attulit ex appellatione Digeſti veteris, Infortiati, & Novi: nempe *Vetus*, inquit, *dictum, quia ab omni vetuſtate haberetur*; *Infortiatum, quia veteri accreſcendo totum opus amplius & fortius reddidiſſet, ut ipſe barbarae appellationis ſonus indicat*; *Novum vero quod noviſſime Piſis deſcriptum eſſet*. Verum rationi huic maxime refragari hiſtoria ipſa videtur; etenim Odofredus Juriſprudentiam Bononiæ docuit ante annum æræ Dionyſiacæ 1265. quo quidem anno eum obiiſſe tradunt Seldenus *Diſſert. ad Fletam cap.* VII. *num.* 4. & Gravina *Orig. Jur. lib.* 1. *cap.* 156. Hæc autem ſcripſit Odofredus idem ad *l. Quaerebatur ff. ad L. Falcid.* „ *Poſt-*

„ *Poſtmodum fuit translatum*, nempe ſtudium Juriſprudentiæ, *ad civitatem iſtam*, Bononiam ſcilicet, *cum libri fuerunt portati*; *fuerunt portati hi libri*, *Codex*, *Digeſtum vetus*, *& novum*, *& Inſtitutiones*: *poſtea fuit inventum Infortiatum ſine tribus partibus*; *poſtea fuerunt portati tres libri*, *& ultimo liber Authenticorum inventus eſt*„. Quæ ſi vera ſunt (quemadmodum evidens nulla ratio urget, quæ iis denegandam eſſe fidem ſuadeat, dummodo recte intelligantur de libris tantum, qui Bononiam translati fuerunt, quive Bononiæ inventi, quum aliis in locis paterent) atque adeo ſi Bononiam allata ſimul fuerunt Digeſtum vetus & novum, profecto cenſendum erit, Digeſtum novum Bononiam allatum fuiſſe antequam Piſis deſcribi poſſet. Quippe Digeſtum vetus & novum Bononiæ habebantur ſaltem anno 1102.; poſtquam enim Pepo quidam privata auctoritate Bononiæ Jus Civile docuiſſet, ut idem Odofredus tradit *ad l. Jus civile ff. de Juſt. & Jure*, Irnerius, ſive Warnerus, aut Guarnerius A. 1102. Pandectas Bononiæ interpretari cœpit, ut præter Sigonium in argumento Hiſt. Bononienſ. A. 1102. etiam Donatus Aſtenſis refert *lib.* 1. *cap.* 4. *pag.* 67. *& lib.* 11. *cap.* 7. *pag.* 166. qui eumdem A. 1140. vita exceſſiſſe conjicit *lib.* 11. *cap.* 5. *pag.* 111. Imo vero etiam multo ante A. 1102. Digeſtum novum Bononiæ extitiſſe videtur: etenim A. 1032. ut apud Cl. Grandium

dium in *Epiſt. de Pandectis* §. 12. *&* *not.* 13. *& in Opere, cui titulus Nuova diſamina Parte* 4. *cap.* 8. *n.* 7. *pag.* 345. Robertus de Monte refert „ *Lanfrancus Papienſis, & Garnerius* (quem ab Irnerio diverſum probat idem Grandius d. nota 13.) *ſocius ejus, repertis apud Bononiam Legibus Romanis, quas Juſtinianus Imperator Romanorum anno ab Incarnatione Domini* DXXX. *abbreviatas emendaverat, his, inquam, repertis operam dederunt eas legere, & aliis exponere* „ Neque Cl. Tanuccius Robertum ita ſcribentem falſi judicandum eſſe voluit, *epiſt. ad Acad. Etruſc. cap.* 12. *& in alio opere Difeſa ſeconda dell' uſo antico delle Pandette lib.* 2. *cap.* 7. *pag.* 236. Si ergo Bononiam primum allatus fuit Codex una cum Digeſto vetere & novo, ut ait Odofredus, conſentaneum eſt, ut quod de Lanfranchi, & Garnerii opera Romanarum Legum ſtudio navata ſcripſit Robertus, id etiam ad Digeſtum novum pertineat, illudque Bononiæ fuerit A. 1032. Piſis autem A. 1102. multoque minus A. 1032. non extabat inſigne illud Exemplar; nam ſive communem ſententiam ſequamur, quam tuetur Cl. Tanuccius, Amalphi inventum fuit, ac Piſas translatum A. 1135. æræ communis, ut docet Brencmannus *Hiſt. Pand. lib.* 1. *cap.* 6. ſive Cl. Grandii conjecturam probemus, Bononia Piſas delatum fuit Bulgari Piſani opera circa A. 1140. quo Irnerius obiit, cujus diſcipulus fuerat idem

idem Bulgarus, quem Irnerius ipſe *os aureum* nuncupavit, Ottone Morena teſte *in Chronic. Laudenſ. A.* 1158. aut prope annum 1158. quo Bulgarus erat in celebri conventu apud Roncallias: ſive demum illud CPoli a Burgundio, ſeu Burgundione Piſano Piſas delatum cum eodem Grandio exiſtimare quis malit, id contigiſſe dicendum erit anno 1145. vel 1172. utroque enim anno Burgundius pro Piſana Rep. legationem obiit, primo ad Calojannem, deinde ad Emanuelem Comnenum Imperatores. Quum ergo tertium digeſtorum volumen Bononiæ extaret, atque, ut conjicitur, Digeſti novi appellatione deſignaretur, antequam præſtantiſſimum illud Pandectarum Exemplar Piſani haberent, perperam idcirco ait Contius novum dictum fuiſſe, quod noviſſime Piſis deſcriptum eſſet: quin etiam veriſimilius exiſtimari poteſt, Novum ex eo dictum, quod a titulo *de Novi operis Nunciatione* incipiat. Verum & hoc incertum, quemadmodum & incerta omnino eſt Infortiati etymologia, de qua vel ipſo Accurſii, & Odofredi ævo diſputabatur, ut ex Accurſii verbis liquet *ad Rubr. ff. Sol. matr.* & ex Odofredo *ad Rubr. Infort. col.* 1. Quamvis autem Alciatus *lib.* IV. *Parerg. cap.* 25. Ferandus Adduenſis *Explicat. lib.* 1. *cap.* 23. Dionyſius Gothofredus *ad Tit. ff. Sol. matr.* Fabricius *Biblioth. Lat. lib.* IV. *cap.* 10. alii quoque alias aſſerant conjecturas, nihil tamen, quod certum

ſit,

ſit, ſtatuere licet, adeo ut Ludovicus Romanus *ad Rubr. ff. Sol. matr.* recte ſcripſerit, *id nomen ab aliquo interprete pro arbitrio ſuo abſque juſta ratione impoſitum fuiſſe, quod continuo uſu receptum ad nos manavit*, & Alciatus idem *in Proœmio lib.* I. *Diſpunct.* cenſuerit barbaram hanc eſſe vocem nullius ſenſus ab indocto aliquo literatore primum factam, quam deinde alii æque indociles ſequuti ſint. Ex quibus omnibus facile percipi deprehendique poteſt inanem eſſe Contii rationem ab etymologia Digeſti Veteris, Infortiati, & Novi deductam. Neque momenti aliquid afferre poteſt quod idem Contius a pleriſque viris fide dignis audiviſſe teſtatur, *Romæ in Vaticana Bibliotheca extare duo tantum illa Volumina, Vetus, & Infortiatum*; etenim ex eo, quod alicubi duæ operis alicujus partes habeantur, non ſtatim conficitur, tertiam partem noviſſime, ac multo poſt ceteras eſſe deſcriptam, quum plures eſſe cauſſæ potuerint, ob quas tertia illa pars ibidem non extet. Hodie tamen digeſti novi exempla aliquot in Vaticana Bibliotheca habentur, Brencmanno teſte *lib.* III. *cap.* 3. *pag.* 253. *& cap.* 5. *pag.* 278. quum plures ex aliis Bibliothecis Codices illuc obvenerint.

Jam vero & quod Contius putat, reliquam tantum Infortiati partem a *l. Quærebatur* 81. *v. Tres partes*, *ff. ad L. Falc.* ex Florentino Exemplari deſcriptam eſſe, vel ex eo refellitur, quod quum

quum librarius in eodem deſcriberet leges ipſius Tituli *ad l. Falcidiam*, oblitus erat legis *in Falcidia* 42. eamque ideo alius ejuſdem temporis ſcriptor in libri margine nota obeli adjecta ſcripſit, quam notam quum deinde librarii neglexiſſent, factum idcirco, ut in vulgaribus libris ea lex *in Falcidia* perperam ſcripta ſit poſt legem *Falcidia intervenire*, quum deſcribenda ſuperius eſſet poſt legem *Dolo* 41. Ita lex *Servi*, quæ in vulgaribus eſt 42. debuerat 43. loco deſcribi, & lex *Falcidia intervenire* non quadrageſima tertia, ut in vulgaribus, ſed quadrageſima quarta eſſe debuerat: quem errorem ex Florentinis libris manaſſe animadvertit Ant. Auguſtinus *lib.* III. *Emend. cap.* I. Ex quibus hactenus expoſitis veriſimile admodum videri poteſt, non eam tantum partem, quæ ſequitur legem *Quærebatur*, ſed & quæ ipſam antecedit, ex Florentino Mſ. prodiiſſe.

CAPUT XI.

Impugnatur Abrahami Wielingii ratio, qua Taurelliani argumenti vim eludere conatur.

NEque ſolum Ant. Contius, & Donatus Aſtenſis argumentum illud ab inverſo ultimarum chartarum ordine deductum diluere fruſtra conantur, ſed etiam Abrahamus Wielingius in Academia Franequerana juris profeſſor omnem lapidem movet, ut illud poſſit refel-

refellere. Is enim in Præfatione ante libros duos lectionum juris civilis hoc habet „ *Quanta in aliis etiam ſcriptoribus, quos haud integros poſſidemus, lectionum hodie varietas eſt? quumque certiſſimum ſit ex uno ſæpe mutilo omnes alios codices pariter mutilos prodiiſſe: quis, quæſo, primo illo dudum amiſſo, ſtatuere audeat, ex decem forte, qui ſuperſunt, unum eſſe prototypum, ex quo reliqui novem, tamquam ex fonte rivuli derivati fuerint? Exemplum vobis Theophili Paraphraſis ſuppeditat in omnibus hodie Mſ.* ἀκέφαλος *primo libri primi titulo deſtituta, non ſolum Venetis, verum & Pariſienſibus: hinc certum quidem eſt, omnes illos ex uno pariter capite minuto codices profluxiſſe; nemo autem conſtare dixerit, unum ex ſuperſtitibus ſive Venetum, ſive Gallicum, reliquorum principem, ac velut parentem eſſe* „. Hactenus Wielingius. Ac profecto eſſet obſervationis hujuſce aliqua vis, niſi luculentiſſime conſtaret, ipſum hoc, de quo agimus, Florentinum Exemplar, in quo duæ illæ chartæ perperam compactæ ſunt, occaſionem errori præbuiſſe, qui in ceteris omnibus libris deprehenditur. Verum proculdubio manifeſtum illud in poſtremæ chartæ principio veſtigium vocis *paruit*, quod ſupra commemoravimus, aperte declarat, librarium penultimo loco membranam illam exaraſſe, quæ nunc vitio ejus, qui chartas illas compegit, antepenultima eſt. Huic ergo tribuenda communis erroris origo: hinc prima mali la-

bes.

bes. Præterea quum pro verbo *paruit*, quod recte viſum fuit minime cohærere cum poſtremis verbis legis *Ad ea*, alia exempla habeant *conveniatur*, alia *condemnetur*, alia *patiatur*, idque factum ſit, ut hac emendatione poſtrema charta penultimæ perperam compactæ congrueret, vel ex hoc ipſo percipi deprehendique poteſt, non ex aliis codicibus, verum ex Florentino Mſ. errorem principio exortum fuiſſe. Ita ſi in pervetuſto aliquo Theophili ipſius exemplari primi tituli ſcripturam vel diuturno uſu, vel alia de cauſſa evanuiſſe appareret, vel ſimile quidpiam indicium extaret, quo deprehenderetur, primum illum titulum ibidem deſcriptum olim fuiſſe, haud levi ſane conjectura affirmari poſſet, codicem ejuſmodi reliquorum principem, ac veluti parentem eſſe. Exiſtimat deinde Cl. Wielingius, forte ipſum id exemplar, quod in Italiam Juſtinianus tranſmiſit, eodem vitio laboraſſe, unde error in exempla ab Italis tunc deſcripta tranſierit. Sed quando erroris cauſſa in Florentino Mſ. liquido apparet, cur nova in alio exemplari fingenda eſt? Jam vero Juſtinianus Pandectarum exemplar in Italiam miſit multo ante annum Chr. 554. quemadmodum ipſe Wielingius fatetur, & nos quoque inferius oſtendemus *Cap. ſeq.* Florentinos autem libros poſt illud tempus deſcriptos fuiſſe CPoli, optimis argumentis doctiſſimi Viri judicarunt; non potuit

potuit igitur Florentinum, quod nunc appellatur, Exemplar ex eo, quod jam in Italiam pervenerat, CPoli deſcribi. Unde igitur idem vitium in utrumque codicem, & ab Imperatore in Italiam tranſmiſſum, & poſtea CPoli deſcriptum irrepſit? Num forte ex antiquiori codice ortum putabimus? At quis umquam ſibi facile ſuadere poterit, ex corrupto, ſeu male compacto exemplari deſcriptum eum codicem fuiſſe, quem Juſtinianus Italiæ prototypum deſtinabat; vel eum, qui ipſi corrigendo operam dabat, adeo vecordem fuiſſe, ut antepenultimam chartam in hæc verba deſinere: *imperio magiſtratus non*: interrupto plane ſenſu, ordinemque adeo perturbatum eſſe non animadverterit? Quæ omnia doctiſſimi Wielingii conjecturam non eſſe probandam, luculentiſſime, ni fallor, oſtendunt.

CAPUT XII.

Oppoſitio altera removetur ducta a Digeſtis in Vetus, Inſortiatum, & Novum diſtinctis antequam Pandectæ Piſis extarent. Vulgares Pandectarum libros ex iis, qui nunc Florentini dicuntur, Ravennæ fuiſſe deſcriptos veriſimile eſt. Quo tempore Juſtinianeum Juris σύνταγμα in Italiam advectum. Exponitur caput XI *Pragmaticæ ſanctionis Juſtiniani. Pandectarum Exemplar, de quo agimus, Ravennam fortaſſe dum Exarchi ibidem præerant allatum.*

ILlud præterea objicitur a doctiſſimo viro Donato Aſtenſi, *dell' Uſo, & autorità della Ragion Civile, lib.*II. *cap.* 3. *pag.* 37. quod Digeſta dividebantur in Vetus, Infortiatum, & Novum antequam Piſanum Exemplar Amalphi reperiretur; ex eo igitur vulgares Pandectarum libri originem non duxerunt. Aſtenſi accedit Cl. Grandius *in not. ad Epiſt. de Pand. num.* 27. quem Everardus Otto *in Præfat. ante tom.*I. *Theſ. Jur. pag.*42. ait, graviſſimis argumentis rem nuper confeciſſe. Plures quidem rationes Grandius adducit, quas inferius, omnes expendemus; ac primum & ipſe affert vetuſtiſſimam diviſionem Pandectarum in Digeſtum vetus, Infortiatum, & Novum; deinde ex eo, quod per partes Jus Civile paulatim Bononiam allatum ſit, ut ſuperius *Cap.*x. ex Odofredo dictum eſt, negat ex Florentino vulgata exem-

exemplaria profluxiſſe, quia ſi verum id eſſet, *totum ſaltem Pandectarum corpus & ſimul illatum foret, omneſque quinquaginta libros Digeſtorum illuſtrare ex aquo Anteceſſores illi potuiſſent.* Idem quoque Aſtenſis *lib.* II. *cap.* 5. *pag.* 134. hæc habet: *Dall' eſſerſi incominciata da Irnerio l' eſpoſizione delle Pandette dattorno a 33. anni prima, che foſſe da' Piſani poſta a ſaccomanno la città d'Amalfi, via più ſi convince l' independenza delle volgate da quelle, che Fiorentine s' appellano.* Maximam denique huic argumento vim addunt quæ Cl. Tanuccius in epiſt. ad Academicos Etruſcos *§.* v. *pag.* 30. *& ſeqq. e nella Difeſa* II. *l.* II. *cap.* I. *pag.* 128. ſcripſit: Gratianum nempe non Piſanis Pandectis, ſed vulgaribus uſum eſſe; ideo, quoniam Gratianus decretum ſuum concinnabat ab anno 1125. uſque ad annum 1151. recte inferri poſſe videtur, vulgares Pandectarum libros in uſu fuiſſe ante annum 1135. quo Piſanum Exemplar Amalphi inventum fuiſſe fertur, aut ſaltem ante annum 1151. quo Gratianus Decretum abſolvit.

Fateor quidem diviſionem illam in Digeſtum Vetus, Infortiatum, & Novum antiquiorem eſſe anno 1135. atque eamdem in uſu fuiſſe antequam præſtantiſſimum illud Pandectarum Exemplar Piſis extaret. Neque vero probandam exiſtimo Ferrandi Adduenſis ſententiam, *qui Explic. lib.* I. *cap.* 23. *Theſ. Jur. tom.* II. *col.* 534. originem diviſionis in Digeſtum Ve-

tus & Novum ab iis ducit, qui leges in Pandectas digeſſere, quod ſane ſi verum eſſet, aliquod hujuſce diviſionis veſtigium in Conſtitutionibus Juſtinianeis, in quibus diviſio Pandectarum traditur, haberemus; deinde cenſet poſt Accurſianos Commentarios, quod duobus voluminibus continebatur, in tres partes diviſum fuiſſe, ut Accurſii ætate, vel paulo poſt, Infortiati nomen ſecundo volumini inditum fuerit. Neque iis adſentiendum puto, qui eam diviſionem vel Bulgaro tribuunt, ut refert Heineccius *Hiſt. Jur. Rom.* §. 419. vel introductam exiſtimant circa tempora Azonis, ut eſt apud Brencmannum *Hiſt. Pand. lib.* II. *cap.* 2. *pag.* 229. in qua ſententia fuiſſe videtur Fabricius *Biblioth. Lat. lib.* IV. *cap.* 10. His enim omnibus ita ſentientibus illud refragatur, quod ipſa Irnerii ætate Digeſtorum pars altera Infortiatum appellabatur, ut conſtat ex Odofredo *in Proœm. ad Infortiatum*, qui & in *Proœmio ad Dig.novum* hæc ſcripſit: *unde dicit Domnus Guarnerius,quod ex libro iſto fuit augmentatum Jus noſtrum, ut dicitur de veſte de lana infortiata, ideſt de veſte de lana augmentata*. Neque ulla ratio eſt, quæ nos in ſententiam doctiſſimi Grandii adducat, qui in opere inſcripto *Nuova diſamina &c. parte* II. *cap.* 4. *pag.* 145. exiſtimat, in laudatis Odofredi locis *Ir.* deſignaſſe *Ireum* veterem Interpretem Bononienſem, non autem *Irnerium*; eum tamen, qui primam ope-

pe-

perum Odofredi editionem curavit, *Irnerium* intellexiſſe, quod nomen quum ex *Guarnerio* corruptum arbitraretur, *Guarnerium* ſcribendum putaſſe. Quod enim ait Cl. idem Vir, haud veriſimile eſſe, ab Odofredo eumdem Gloſſographum interdum *Irnerium*, interdum vero *Guarnerium* nuncupatum, id profecto non obſtat, quominus *Irnerii*, vel *Guarnerii* nomen retineamus, quum varietas hæc librariis potius, quam ipſi Odofredo tribui poſſit. Nec ſibi contrarius ideo eſt Odofredus, quod in *l.* 1. *& in l. Divortio in princ. ff. Sol matr.* ait Rogerium primum Infortiati Gloſſatorem fuiſſe; & alibi, nempe in laudatis Procemiis, Infortiati Etymologiam refert ab Irnerio confictam, & ad *l. Jus civile ff. de Juſt. & Jure*, de Irnerio ſic loquitur: *fuit primus illuminator ſcientiæ noſtræ, & quia primus fuit, qui fecit Gloſſas in libris noſtris, vocemus eum lucernam Juris*: Hæc enim ita intelligenda eſſe videntur, ut Irnerius quidem primus Gloſſas conſcripſerit ad Codicem, & reliquas Pandectarum partes, non vero ad integrum Infortiatum, ad quod nonnullæ tantum ex Irnerio Gloſſæ referuntur *ad tit. ff. Sol. matr.* nec alias, quæ Irnerii ſint, in Infortiato ipſo licet reperire, ut Aſtenſis animadvertit *lib.* 1I. *cap.* 3. *pag.* 40. *& cap.* 5. *pag.* 112. Rogerius autem Irnerio σύγχρονος, idem ac Vacarius, qui anno 1149. in Anglia Leges Romanas docebat, ut obſervat Selde-

nus *Diſſert. ad Fletam*, *cap.* VII. §.4. & refert Arturus Duck *de Uſu, & auct. Juris Civil. l.* II. *cap.* 8. §. 28. ad integrum Infortiatum Gloſſas ſcripſit, ut merito primus Infortiati Gloſſographus cenſeatur.

Verum etſi antequam Piſis haberetur pervetuſtum hoc Pandectarum Exemplar, diviſio illa inoleverit, veriſimile tamen videtur, ceteros Digeſtorum libros ante eam diviſionem ex eodem ipſo Exemplari, non quidem Piſis, ſed alibi in Italia, ac forte Ravennæ fuiſſe deſcriptos. Ac me quidem non fugit illud, quod a nonnullis traditum eſt de Pandectis Ravennæ repertis, pleroſque fictis fabulis accenſere; quod & fecit Ant. Auguſtinus *Emend. lib.* I. *c.*I. & Brencmannus *lib.* II. *cap.* 2. *pag.* 238. quorum primus laudato loco, quem ſuperius retuli *Cap.* VIII. etiam putavit, Piſanum fuiſſe librarium, qui in poſtremis illis Pandectarum chartis compingendis rectum ordinem invertit; alter vero *lib.* I. *cap.* 9. *pag.* 51. Piſis deſcriptos fuiſſe cenſet Pandectarum libros Bononiam delatos: ad hæc eos ipſos, qui Juſtinianeos libros Ravennæ repertos tradunt, in maxima inconſtantia, veritatis ignoratione, verſari animadvertit. *Quidam*, inquit laud. *cap.* II. Brencmannus, *integra Digeſta, quidam partem eorum iſtic loci repertam perhibent: alii ſolum Codicem Juſtinianeum, alii & Codicem, & Digeſta: quidam denique ipſum Exemplar Florentinum*

tinum olim Ravenna Amalphin perveniſſe putant, & inde Piſas. Tentandum nihilominus, quid aſſequi conjecturis liceat, videndumque an πειθανὸν eſſe poſſit, Florentinos, de quibus agimus, libros olim Ravennæ extitiſſe, ibidemque ex iis exempla deſcripta eſſe. Enimvero non ut ſolent ii, qui nihil tam verentur, quam ne dubitare aliqua de re videantur, conjecturas fidenter afferam, ſed quod εἰκαστὸν videri poſſit, propoſuiſſe contentus, doctiſſimis viris, qui forte in aliquem eorum temporum ſcriptorem hac de re tractantem inciderint, veritatis inventæ gloriam ultro concedam; atque adeo in hac diſputatione exemplum quodammodo ſequar Platonis, quem ferunt, ut eſt apud Laertium in Pyrrhone, verum quidem diis, & deorum filiis relinquere; rationem autem veriſimilem quærere: καὶ Πλάτωνα τὸ μὲν ἀληθὲς θεοῖς τε, καὶ θεῶν παισὶν ἐκχωρεῖν, τὸν δὲ εἰκότα λόγον ζητεῖν. Nullus quidem ſcriptor σύγχρονος, quem mihi hactenus reperiiſſe contigerit, aperte tradidit, qua ætate inſigne hoc Exemplar CPoli advectum in Italiam fuerit, vel ubinam gentium illud extiterit antequam fuiſſet Amalphin, vel Piſas delatum: ſolis igitur conjecturis locus relinquitur, quippe de ea re agitur, quæ ſine illis expediri non poteſt.

Atque ut ab ipſis uſque principiis rem totam repetam, Imp. Juſtinianus jam anno æræ

 Dio-

Dionyſiacæ 554. in Italiam miſerat Pandectas, Inſtitutiones, & Codicem, ut ex ipſius Pragmatica ſanctione colligitur, quæ in aliquibus editionibus Juris Civilis poſt Epitomen Novellarum Juliani Patricii Anteceſſoris, in aliis poſt Novellas Juſtini habetur, data an. XIII. poſt Conſulatum Baſilii, ideoque ipſo an. 554. Obiter vero, *καὶ ὡς ἐν παρόδῳ* emendandum eſt doctiſſimi Viri Donati Aſtenſis *μνημονικὸν ἁμάρτημα*, qui *lib.* II. *cap.* I. *pag.* 8. eam conſtitutionem promulgatam ait A. D. 563. & Juſtinianei Imperii 37. Libet enim animadvertere, eam conditam fuiſſe *pro petitione Vigilii Venerabilis antiquioris Romæ Epiſcopi*, ut ibidem Juſtinianus ait in principio; quemadmodum & alibi ad ſuggeſtionem, hoc eſt ad petitionem, conſultationem, ſive, ut eſt in Baſilicis, *ἀναφορὰν*, videlicet *relationem* aliquorum, veluti advocatorum fori Præfecti Prætorio Illyrici reſcripſit, ut in. *l. ult. C. de Verb. Sign.* Vigilius autem vita exceſſit Syracuſis IV. Id. Januarii anno 555. ideo condita non videtur Pragmatica illa ſanctio anno 563. Præterea annus XIII. poſt Conſulatum Baſilii incidit in annum 554. ut recte Contius in Chronologia, & Petrus Relandus in Faſtis Conſularibus. Itaque in ea Pragmatica ſanctione hæc habet Juſtinianus cap. XI. „ *Jura inſuper, vel leges Codicibus noſtris inſertas, quas jam ſub edictali programmate in Italiam dudum miſimus, obtinere*

ſan-

ſancimus : ſed & eas, quas poſtea promulgavimus, Conſtitutiones jubemus ſub edictali propoſitione vulgari ex eo tempore, quo ſub edictali programmate evulgatæ fuerint, etiam per partes Italiæ obtinere ; ut una, Deo volente, facta republica, legum etiam noſtrarum ubique prolatetur auctoritas„. Ea vero Juſtiniani cura, qua voluit leges ſua auctoritate collectas ubique vigere, luculenter oſtendit, iis verbis : *jura, vel leges Codicibus noſtris inſertas*, Pandectas quoque contineri. Sane & ipſe Juſtinianus, ſeu Tribonianus τὸν Πανδέκτην Codicis nomine ſæpe deſignavit in *Conſt. Deo auctore*, ſive *l.* 1. *C. de Vet. jure enucl.* ℊ. *Hocque opere* 2. ℊ. *Sed neque* 6. ℊ. *Nulla* 8. ℊ. *Ideo* 11. *cum omnibus ſequentib.* & *in Conſt. Tanta*, ſeu *lib.* 2. ℊ. *Contrarium* 15. & ℊ. *Leges* 23. *C. eod.* Ita & Pandectas in laudata Pragmatica ſanctione proculdubio comprehendit, quum & plurali numero uſus fuerit, quemadmodum in *d.* ℊ. 11. „ *ideo jubemus*, inquit, *duobus iſtis* CODICIBUS *omnia gubernari : uno conſtitutionum : altero juris enucleati, & in futurum* CODICEM *compoſiti*„ item in d. ℊ. 23. *Leges autem noſtras, quæ in his* CODICIBUS, *ideſt Inſtitutionum, ſeu Elementorum, & Digeſtorum, vel Pandectarum poſuimus &c.* Ex quibus patere arbitror, Juſtinianum etiam Pandectas ſub eodem Edictali programmate in Italiam miſiſſe. Eſt autem πρόγραμμα ſcriptura ſive edictum publico in loco propoſitum, ut ab omni-

omnibus de plano legi poſſit. Solebant Magiſtratus Conſtitutiones Principum programmatibus per omnes populos divulgare *l.* 3. *C. de legib.* quod etiam indicat ſubſcriptio legis 25. *C. Th. de Annona*, *& tributis*: *in Programmate Vari Viri· Clariſſimi Vicarii Urb. Rom.* Ita Imp. Honorius, ut Donatiſtarum, & maxime Petiliani, qui Catholicis exprobraverat, quod a Principibus adverſus ſe auxilium petiiſſent, procaciam reprimeret, juſſit reſcriptum Juliani pro Donatiſtis una cum eorum precibus propoſito programmate celeberrimis in locis anteferri *l.*37. *C.Th. de Hæreticis.* In novella 1I. Juſtiniani, quæ inſcripta eſt Hermogeni Magiſtro ſacrorum officiorum, Imperator in fine ait: *τὰ τοίνυν παραςάντα ἡμῖν ἡ σὴ ὑπεροχὴ ἔργῳ καὶ πέρατι παραδοῦναι σπευσάτω, καὶ φανερὰ πᾶσι διὰ προγραμμάτων οἰκείων ποιησάτω*: antiqua verſio habet: *Quæ igitur placuerunt nobis, tua ſublimitas operi, effectuique tradere feſtinet, & manifeſta univerſis per programmata propria faciat.* Proponebatur a Magiſtratu Conſtitutio Principis, & ſubjiciebatur Edictum ipſius Magiſtratus, ut docuit Sirmondus 1I. *Propemptici cap.* 2. & pluribus exemplis confirmavit Jac. Goth. *ad l. un. C. Th. Si per obreptionem ſuerint impetrata.* Προγράμματα, & προθέματα non ideo dicebantur, quod præponerentur, ſed quod palam proponerentur; iiſque verbis *Lex propoſita ſub Edicto*, ut in Nov. Valenti-

lentiniani *de Præſcr.* 30. *annor.* non ordo deſignatur, ſed modus proponendi, ut *ſub* idem ſit, quod *per* Edictum : ceu recte animadvertit Sirmondus a Jac. Gothofredo laudatus *d. l.* Quod tamen Juſtinianus ait in ea Pragmatica ſanctione *cap.* 11. : *quas jam ſub edictali programmate in Italiam dudum miſimus*, id ſignificare videtur non edictum Magiſtratus, qui in Italia eas leges Codicibus inſertas in publicum proferret, ſed ipſius Imperatoris edictum, quo ipſas in Italiam mittebat, jubebatque ibidem vulgari. An vero per partes tranſmiſſa in Italiam fuerint Pandectarum volumina, ita ut primum allata fuerit ea pars, quæ Digeſtum Vetus appellata fuit, deinde quum altera ab amanuenſibus abſoluta eſſet, in Italiam advecta Infortiati nomine deſignata fuerit, denique allatum Digeſtum Novum, ut ſuſpicatur Cl. Grandius *in Not. ad Epiſt. de Pand. n.* 27. *pag.* 86. 87. certo definiri non poteſt : Veriſimilius tamen videtur, integrum Pandectarum corpus ſub uno programmate in Italiam miſſum a Juſtiniano fuiſſe, quum nulla ſatis idonea afferatur cauſſa, cur priorem partem tranſmittere Imperator voluerit antequam ſequentes deſcriptæ eſſent. Et Codices quidem, quorum mentionem habet Juſtinianus in Pragmatica illa ſanctione, videlicet Pandectæ, Inſtitutiones, & Codex repetitæ prælectionis, ab eo miſſi in Italiam videntur anno 538., vel paulo

paulo poſt eumdem illum annum, quo Beliſarius Romam a Vitige Gothorum Rege obſeſſam liberavit. Nec forte a veritate aberraverit, qui putet, non ſolum Romam eos Codices fuiſſe delatos, ſed vel eos, vel eorum exempla etiam perveniſſe Ravennam, quæ Juſtiniano parebat, & cujus Antiſtes Maximianus eidem Imperatori longe acceptiſſimus erat. Tanta vero ſubinde fuit ejus Principis in Ravennam benevolentia, ut Ravennati Eccleſiæ Agnelli ætate, qui Maximiano ſucceſſit, bona Gothorum Narſetis opera donaverit, & Ravennæ ipſius pars tamquam perpetuum beneficiorum, quæ in eam civitatem Juſtinianus contulerat, monumentum, ab illius patria Taureſium, ut refert Rubeus *lib.* IV. *in fine*, fuerit appellata. Quis vero umquam exiſtimabit, eam civitatem, quæ fide officioque ſingulari erga Juſtinianum præſtabat, quæ ab ipſo beneficiis cumulata fuit, quæ ipſius beneficiorum memoriam ſervavit, Juſtinianeis illis Codicibus, atque adeo Pandectis carere voluiſſe, vel Imperatorem illum, qui ut Juris a ſe promulgati auctoritas ubique gentium valeret, vehementer optaverat, nullo modo proſpexiſſe, ut in eam ipſam urbem Pandectæ pervenirent, & ex illis in ea jus redderetur? Profecto ſi quis eſt, qui in hanc opinionem prolabatur, fruſtra ſe aliis fidem facturum ſperabit. Atque hæc ad Juſtiniani ætatem, illi-

que

que proximam pertinent : ſequentibus deinde temporibus Juſtinianeum Jus Ravennæ viguiſſe argumento illud eſt, quod poſt annum 567. Exa rchi, qui Conſtantinopoli ab Imperatore mittebantur, Ravennæ præfuerunt, donec Aiſtulphus Langobardorum Rex eam occupavit, anno, ut Anaſtaſius tradit 752. ſive 751. ut colligit Cl. Muratorius *Annali d' Italia anno* 752. Quum vero Aiſtulphus Ticini jurejurando promiſiſset, ſe Ravennam reſtituturum, nec fidem liberaſſet, Pipinus tandem anno 755. Ravennæ Exarchatum B. Petro, ſanctæque Dei Eccleſiæ & Reip. dono dedit, ut apud eumdem Muratorium habetur ad annum 755.

Quæ quum ita ſe habuerint, quid veriſimilius excogitari umquam poſſe videtur, quam illud ipſum, de quo agimus, vetuſtiſſimum Pandectarum Exemplar CPoli, unde Exarchi ab Imperatore mitti conſueverant, Ravennam delatum eo tempore fuiſſe, quo quum ipſa Græco Imperatori pareret, ibi certe jus ex Juſtinianeis libris reddebatur? Id ſuſpicatus eſt Marquardus Freherus, qui in Epiſtola ad Rudolphum II. ante Jus Græco-Romanum Leunclavii ita ſcripſit: *Pandectarum certe antiquiſſimum illud exemplar, quod ſi non Juſtiniani ætate (ut quidam putarunt) & ipſius Triboniani prototypon, ſaltem non ita diu poſt in ipſa Græcia ſcriptum, ſive in Byzantina, aut* RAVENNATE *Bibliotheca*

theca aliquandiu aſſervatum , ſive aliter Amalphin oppidum Apuliæ (perperam ut plerique alii Melphim urbem in confinio Apuliæ & Lucaniæ poſitam confundit cum Amalphi, quæ ab oriente a Salerno ſeptem fere millia paſſuum diſtat) *pervenerit in ejus urbis direptione inventum &c.* Et apud Jacobum Caimum Utinenſem *Lucubrat. Jur. var. Parte* 1. *cap.* 1. *num.* 10. Bolognetus *conſiderat , quod ſecundum aliquos Ravenna fuit inventum totum corpus Pandectarum , quod poſtea Piſis fuit cuſtoditum* . Brencmannus quidem *lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* 27. Freherum his verbis reprehendit : *de Ravenna nil addam hoc loco, cum illud Pandectarum exemplar , quod ibi a nonnullis repertum creditur , ad Piſanum minime pertineat* ; *etſi cum eo confundere ſategerit Freherus* . Nihil tamen Brencmannus affert , quo aperte demonſtretur , Piſanum Exemplar Ravennæ numquam extitiſſe : Exiſtimat ſane *lib.* 1. *cap.* 4. *pag.* 23. propterea quod Amalphi jurisprudentiæ ſtudio nonnulli inclaruerunt , pluresque Amalphitani CPoli mercaturæ , aut forte etiam ſtudiorum cauſſa verſabantur , Exemplar illud Conſtantinopoli Amalphin delatum : exemplumque affert nobilis cujuſdam Amalphitani Juvenis , qui anno 1078. *partem ligni ſalutiferæ , & vivificæ Crucis* , ut ait Leo Oſtienſis , de palatio Conſtantinopolitano abſtulit , atque in Italiam duxit . Quis hæc , puras putas conjecturas eſſe non videt ? At quanto probabiliorem

rem conjiciendi occaſionem præbent non privatorum ſtudia, non peregrinationes mercaturæ cauſſa ſuſceptæ, non denique privatæ Amalphitanorum cum Byzantinis conſuetudines; verum publica navandi operam Juſtinianeis legibus neceſſitas, publica expediendorum negotiorum cauſſarumque agendarum ratio, itinera demum a Græcis hominibus Conſtantinopoli Ravennam iiſdem legibus Ravennates cives regendi cauſſa ſæpiſſime confecta?

CAPUT XIII.

Juſtinianeum jus etiam poſt Langobardorum Regem Aiſtulphum Ravennæ floruiſſe conjicitur. Pandectarum exempla Ravennæ deſcripta, & in diverſas partes diviſa, deinde Bononiam tranſlata. Expenduntur quædam Accurſii, & Odofredi loca. Chriſt. Godofr. Hofmanni, aliorumque argumenta nonnulla refutantur.

JAM ſi veriſimile admodum eſt in eam urbem, quæ Græco parebat Imperatori, in quam Conſtantinopoli mittebantur Exarchi, in qua demum Juſtinianea jura vigebant, inſigne illud Exemplar, quod Florentinum appellamus, fuiſſe delatum, non erit quoque a veri ſpecie alienum, iis vel ſequentibus temporibus ex eodem complura exempla deſcripta fuiſſe. Haud enim quis facile in Gravinæ ſententiam deſcenderit, qui *Origin. lib.* 1. *cap.* 139. affirmat, Juſtinianeum jus ab ipſa Ravenna exceſſiſſe poſtquam

quam circa annum 752. ab Imperio Romano per Aiſtulphum Langobardorum Regem fuit avulſa. Etenim ex Luitprandi, ſive potius, ut animadvertit Cl. Muratorius *Ann. d'It. ad an.* 712. Liutprandi legibus, qui regnum obtinuerat anno 712. aperte conſtat licuiſſe Italis *Lege Romanorum* uti, *lib.* 1. *Legum Langobard. tit.* 29. *lege* 2. ſive ut edidit Muratorius *lib.* 6. *lege* 37. *& lib.* 11. *tit.* 7. *lege* 1., ſive ut Muratorius habet, *lege* 74. Eam vero facultatem Italis a Liutprando conceſſam, deinde ſublatam iis fuiſſe ab Aiſtulpho, nullius idonei Scriptoris auctoritate, ab eloquentiſſimo Gravina comprobatur. Sane inter leges Langobardorum plures habentur Aiſtulphi leges, in quibus nominatim de Langobardis agitur iis verbis: *Si quis Langobardus*: *ut in lege* 4. *tit.* 4. *lib.* 1. *leg.* 28. *tit.* 14. *lib.* 2. *leg.* 3. *tit.* 18. *d. lib.* 2. *leg.* 4. *tit.* 20. *leg.* 9. *tit.* 34. *leg.* 11. *tit.* 35. *leg.* 18. *tit.* 56. *eod. lib. leg.* 1. *tit.* 10. *lib.* 3. *juxta Venetam edit. apud Juntas* 1592. quaſi ceteris origine Italis eæ Leges latæ non eſſent, ſed iis permiſſum Romana hoc eſt ſua Lege uti. Legis autem Romanæ appellatione, etſi perſæpe Codex Alaricianus, ſeu Breviarium Aniani intelligeretur, ut obſervat Baluzius *in notis ad Capitul. Tom.* 11. *pag.* 995. & Du Freſne *Gloſſar. med. & inf. Latinit. in V. Lex Romana,* attamen ubi Juſtinianeum Jus in uſu erat, veluti in Italia, hoc ipſum deſignatum eſſe videtur, ceu quod

ad

ad Juſtiniani Codicem, & Novellas oſtendit Cl. Valſechius *Epiſt. de Vet. Piſ. Civit. Conſtit. pag. 6. & ſeqq.* cujus ſententiam confirmat Cl. Grandius *in notis ad Epiſt. de Pandectis n.3.* idemque de Pandectis affirmaverim, quorum Jus Ravennæ intermortuum fuiſſe nulla ratio ſuadet. Quum ergo Pandectarum jus Ravennæ vigeret, quo tempore Aiſtulphus eam occupavit, quippe delati ſub Juſtiniano Pandectæ fuerunt in Italiam, atque, ut veriſimile eſt, præſertim Ravennam, in quam Longinus ab Imperatore Juſtino Exarchus anno 568. miſſus eſt, aliique poſtea a ſequentibus Imperatoribus; conſentaneum videtur, appellatione *Legis Romanæ*, qua Langobardi Italos vivere permittebant, jus quoque ipſum Pandectarum contineri, adeoque & Ravenna a Langobardis capta, ibidem viguiſſe.

Ravenna deinde Romano Pontifici donata, Juſtinianei Juris uſum in ea ſublatum fuiſſe, haud facile quis affirmare poterit, quum & alibi ætate Caroli M. vigeret, ut probat Aſtenſis *lib.* 1. *cap.* 3. & Capitulari ipſius Caroli *de Cauſſis Regni Italiæ* promulgato poſt annum 787., ut conjicit Muratorius *Annal. It. ad annum* 783. quod Baluzius edidit *t.* 1. *p.*258. quemlibet ſecundum ſuam legem judicari juberetur. Deinde Leo IV. Pontifex creatus a. 847. vita functus a.854. Lotario ita ſcripſit, ut eſt apud Gratianum *in Can. Veſtram, diſt.* 10.:

Veſtram flagitamus clementiam, ut ſicut hactenus Romana Lex viguit abſque adverſis procellis, & pro nullius perſona hominis reminiſcitur eſſe corrupta, ita nunc ſuum robur, propriumque vigorem obtineat. Lotarius vero *lib.* 1I.*Leg. Lang. tit.* 54. *l.* 1. ita conſtituit: *Volumus, ut cunctus populus Romanus interrogetur quali lege vult vivere, ut tali lege quali lege vivere profeſſi fuerint, vivant, illiſque denuntietur, ut hoc unuſquiſque tam judices, quam Duces, vel reliquus populus ſciat, quod ſi offenſionem contra eamdem legem fecerint, eidem legi, qua profitentur vivere per diſpenſationem Pontificis, ac noſtram ſubjacebunt*. Plurimum quoque ſequentibus temporibus Ravennæ in ſcholis, & in foro valuiſſe Juſtinianei juris auctoritatem ex B. Petro Damiano colligitur, qui annum agens ætatis 84., ut ſuſpicatur Cl. Henſchenius *in Commentario de B. Petro Damiano* §. VI. *num.* 39. obiit anno 1072. quemadmodum ex Bertholdo Conſtantienſi *in Auctar. ad Hermannum Contractum* refert idem Henſchenius §. VI. *num.* 38. His autem verbis B. Petrus *de Parentela Gradib. Opuſc.* VIII. *cap.* 8. Ravennates IC. perſtrinxit: *Ut qui inter Clientum turbas tenetis in gymnaſio ferulam, non vereamini ſubire in Eccleſiæ diſciplinam. Et qui tamquam docti peroratis in tribunalibus cauſſas &c.*: Idemque *cap.* 11I.: *Ex veſtris*, inquit, *profecto exedris munimen accipimus, quod veſtris itidem jaculis opponamus. Veſter namque Juſtinianus poſtquam ſex*

undi-

undique cognationum gradus enumerat, mox addit. Ex his, inquit, palam eſt intelligere quemadmodum ulteriores gradus enumerare debeamus &c. quæ verba ſunt ex *§. Hactenus 7. Inſt. tit. de Gradib. Cognat* Neque vero, quum Juſtiniani Inſtitutiones Ravennæ obtinerent, exiſtimandum videtur, nullum ibi fuiſſe Pandectarum uſum, ad quos Juſtinianus provocat *§. Rurſus 5. Inſt. tit. de actionib. & §. Ult. Inſt. tit. de Publ. Jud.* Quum ergo in ea civitate diu perſtitiſſet ejuſmodi juris auctoritas, eſt profecto cur a veritate abhorrere non videatur, complura Pandectarum exempla ibi deſcripta eſſe poſtquam cetera, quæ extabant, aut longo uſu detrita eſſent, aut pluribus ſcaterent mendis, quæ quum forte in antiquiora exempla irrepſiſſent, in recentioribus iterato deſcriptis majorem in numerum, ceu plerumque fieri ſolet, excreverant. Hinc factum, ut qui ſibi recte conſultum vellent, non ex ceteris libris, ſed ex eo, qui ipſis præſtabat, & Conſtantinopoli ab Exarcho forte aliquo allatum fuerat, nova ſibi exempla, vel ex his deinceps alia deſcriberent. Et alii quidem in duo volumina, alii vero in tria totum opus pro arbitrio tribuerunt; quæ poſterior partitio, nempe in Digeſtum Vetus, Infortiatum, & Novum, quum minorem cujuſque voluminis molem præſeferret, commodioris uſus gratia frequentius recepta eſt. Ita etiam, quæ ſequentibus temporibus deſcripta

 fue-

fuerunt exempla, quædam duobus voluminibus conſtabant, quemadmodum & illud, de quo loquitur Alciatus *in Prooemio Diſpunct.* & ſimile aliud in Mediolanenſi D. Marci bibliotheca, cujus ab eodem Alciato facta mentio eſt *libro* III. *Paradox. cap.* 13. quædam vero tribus voluminibus comprehendebantur. Utramque Pandectarum diviſionem vel in duos, vel in tres codices etiam ſæculo XII. in uſu fuiſſe oſtendit doctiſſimus Tanuccius in opere inſcripto *Difeſa ſeconda lib.* 1. *cap.* 7. *pag.* 68. *& lib.* II. *cap.* 1. *pag.* 129. Ravenna autem Bononiam primo Digeſtum Vetus cum Novo translatum eſſe, deinde vero Infortiatum, ideoque non ipſum ceterorum Prototypum, ſed ſi quid conjecturis aſſequi licet, ex eodem derivata exempla, ex Accurſii & Odofredi verbis colligimus. Accurſius enim, ſive quis alius antiquus Gloſſographus *ad Rubr. ff. Sol. matr. hæc habet* : *Cum Romæ eſſet ſtudium deſtructum, & Boniniæ inoleret, ejus recuperatione facta Ravennæ, cum eſſet amiſſum jus, eſt redditum forte, cum multa adſint, quæ deerant*. Quod ait de jure amiſſo, & forte reddito, id non de integris Digeſtis, ſed de Infortiato tantum intelligendum proculdubio eſt; alias enim ex ea, qualiſcumque ſit, etymologia totum Digeſtorum opus, Infortiatum appellari, ſignificaretur, quod vel ab ipſa Accurſii ſententia alienum eſt: ideo autem jus amiſſum fuiſſe, ab eo dictum videtur, quod Infortiatum

tiatum priore illo tempore Bononiæ non extabat, & amiſſum credebatur. Bartolus quidem. *ad eamdem Rubr.*: *Hoc puto,* inquit, *falſum, nam hoc volumen numquam fuiſſe amiſſum, ſemper enim fuit totum volumen Pandectarum Piſis*. Verum ipſa hæc Bartoli ratio, quidquid ſit de vocis origine ſentiendum, nullius momenti eſt: utrumque enim potuit contigiſſe, & quod totum volumen Pandectarum ab anno 1135. Piſis extiterit, & quod exempla Digeſti Veteris tantum & Novi Bononiam primo delata eſſent, deinde vero Infortiatum illuc pervenerit. Odofredus autem *ad l. Jus civile ff. de Juſt. & jure*: *Cum ſtudium*, inquit, *eſſet deſtructum Romæ, libri legales fuerunt deportati ad civitatem Ravennæ; & de Ravenna ad civitatem iſtam*, nempe Bononiam: Odofredus enim Bononienſis, ſive, ut alii exiſtimant, Beneventanus, Bononiæ juriſprudentiam docuit. Alter eſt ipſius Odofredi locus ad *l. Quærebatur ff. ad L. Falcid.* quem, quoniam ſuperius protuli *Cap.*x. non eſt operæ pretium hic reſumere. Prius illud Odofredi teſtimonium elevare nititur Brencmannus *lib.* II. *cap.* 2. *pag.* 236. qui ait, *Romæ umquam floruiſſe ſtudium juris Juſtinianei, ſibi non fieri probabile*. Sed licet Juſtinianeas leges, quas in Italia, & in Romano Orbe Juſtinianus auctoritate præſtare voluit, ut ex laudata Pragmatica ſanctione deprehenditur, Romæ etiam poſtquam Narſes anno 553. eam tandem recepit, vires

ſuas explicuiſſe, veriſimile admodum videatur; attamen fac ipſarum ſtudium numquam Romæ floruiſſe, fac erraſſe in ea re Odofredum, & juris Juſtinianei libros numquam Roma Ravennam translatos, num falſum quoque erit Ravenna eos delatos eſſe Bononiam? Si in hiſtoria temporis ab ſua ætate maxime remoti hallucinatus eſt Odofredus, numquid ipſum & in ea re, quæ non tam longe abſuerat, turpiter erraſſe affirmabimus? Imo vero quod de hujuſmodi libris Ravenna Bononiam translatis dixit, id potuit, quum juriſprudentiæ addiſcendæ operam daret poſt annum 1200. (obiit enim anno 1265. ut ſcripſit Seldenus *Diſſert. ad Fletam cap.* VII. *num.* 4. & Gravina *Orig. lib.* I. *cap.* 156. aut paulo ante, ut conſtat ex ejus Epitaphio, quod refert. Joh. Fichardus *in vitis recentior. Juriſconſultor. in* Odofredo) Bononiæ a præceptoribus ſuis accipere, quibus idem ab Irnerii, aut Bulgari auditoribus traditum eſſet. Quod multo etiam magis de Accurſio dicendum videtur, qui prope annum ætatis quadrageſimum, hoc eſt, ut ſcripſit Lud. Romanus *in ſingularibus lit.* N, anno ætatis 37. ad juris ſtudium ſe contulit, ideoque circa annum 1188., quippe anno 1229., ætatis 78. vita exceſſit. Neque Accurſium, & Odofredum, aut ipſorum magiſtros, ad quos nulla utilitas ex ea re perveniebat, eorum ſimiles dixerim, ut apud Ennium Cicerone teſte *lib.* I. *de Divinat.* erat, *qui ſui*

quæſtus

quaeſtus cauſſa fictas ſuſcitant ſententias. Addit praeterea Brencmannus laudato loco *pag.* 237. periiſſe ſine dubio exemplaria, ſi qua fuerunt, per tot barbarorum incurſiones, qui omne iſtic imperium tanto tempore occupaverunt; idemque cum Viglio exiſtimat, ante annum 1135. Jus civile in Italia nullo vel honore, vel uſu fuiſſe. Verum hæc facile poſſunt refelli, quum præter Cironium, & Struvium *hiſt. Jur. cap.* v. *ſ.* 7. præclare oſtenderit Donatus Antonius Aſtenſis in opere, cui titulus *dell' Uſo, e autorità della Ragion Civile*, *lib.* I. *cap.* 2. Juris Juſtinianei, atque adeo Pandectarum uſum numquam fuiſſe in Italia intermortuum. Quod vero idem Brencmannus adverſus Odofredum ait, conſtare juriſprudentiæ libros Piſis Bononiam delatos eſſe, vereor, ne nimis fidenter ab eo dictum ſit, quum neque laudato ſuperius loco, neque *lib.* 1. *cap.* 9. cujus inſcriptio id polliceri quodammodo videbatur, plane oſtendat, unde hoc aperte conſtare poſſit. Quin etiam veriſimilius dixerim, Ravenna, ubi jus Juſtinianeum vigebat, & ubi Irnerius ſtudiis operam dederat, ut idem Odofredus teſtatur in *Auth. Qui res C. de ſacroſ. Eccl. n.* 3. exemplar aliquod Pandectarum Bononiam allatum fuiſſe vel ipſius Irnerii, vel Peponis ætate. Neque ex eo, quod Piſanorum librorum Odofredus nuſquam meminerit, manifeſtum eſſe cum Brencmanno exiſtimaverim, ignoraſſe illum Pande-

ctarum hiſtoriam, & pro ea aliam, quæ ipſi maxime probabilis erat, confinxiſſe: quippe non Piſani Exemplaris hiſtoriam contexere, ſed illud ſolum quomodo libri legales Bononiam perveniſſent, narrare, ipſi conſilium erat: & fortaſſe religio eidem fuit, variantes lectiones ex eo codice afferre, quem numquam inſpexerat; nec quando Accurſii ætate, poſt cujus obitum 36. annos ſuperſtes fuit Odofredus, litera Piſana celebrabatur, mihi temere putandum videtur, eumdem ita fuiſſe imperitum, ut prorſus neſciret, Piſis tam inſigne exemplar extare. Quam vero ipſi objicit Brencmannus *d. pag.* 237. ἀνιστορησίαν, propterea quod Reges Apuliæ quoſdam confundit cum Regibus Langobardorum, minime crediderim quidquam de Odofredi fide, & auctoritate detrahere in eo, quod ait libros legales Ravenna Bononiam translatos eſſe. Qui in re aliqua erraverit, haud ſtatim in omnibus eum erraſſe putandum eſt. Ita nec ipſius Brencmanni in ceteris, quæ egregie tradit in eximia illa Pandectarum hiſtoria, fidem, & auctoritatem ideo quiſquam, puto, convellet, quod *lib.* I. *cap.* 9. conſtare ait, Piſis civilem prudentiam integro ſeculo XII. friguiſſe, nec ullius in jure dicundo uſus, auctoritatiſque fuiſſe: quamvis hoc falſum eſſe Cl. Grandius *in Epiſt. ad Averan.* & Cl. Valſechius *in Epiſt. de Veterib. Piſ. civit. Conſt.* præclariſſime oſtenderint. Tandem Brencmannus *eodem*

lib. III.

lib. III. *cap* 2. *pag.* 238. Pancirolum veluti in ſubſidium advocat, qui *de Claris Leg. Interpr. lib.* II. *cap.* 3. ita ſcripſit: *Odofredus vero hunc librum Roma Ravennam, & inde Bononiam allatum fuiſſe dicit ad l. Jus civile ff. de Juſt. & jure: quod nulla auctoritate comprobatur.* Sed argumentum ex ceterorum ſcriptorum ſilentio ductum valde infirmum eſſe doctiſſimi viri ſæpe judicarunt: nulla fuiſſe videtur Odofredo mentiendi, decipiendique cauſſa, & voluntas: nihil proponitur, quo eum in fraudem inductum eſſe oſtendatur: demum narratio illa de Pandectis Ravenna Bononiam translatis nil habet, quod cum eorum temporum hiſtoria a ceteris tradita convenire non poſſit; ipſe enim de libris legalibus, adeoque de Pandectis quidem, ſed *ἀπροσδιορίστως* loquitur, non autem de Piſano Exemplari.

Itaque ſi, quod proximum vero videri poteſt, Ravenna Bononiam delata fuerunt Digeſtorum exempla jam antea ex Florentinis, ut nunc appellantur, libris deſcripta, ſententiæ noſtræ de omnibus, quos habemus, Digeſtis ex eo Exemplari deductis nulla ratione illud adverſabitur, quod ante annum 1135. diviſio invaluerit in ff. Vetus, Inſortiatum, & Novum, nec quod Gratianus vulgaribus Pandectis uſus fuerit, utrumque enim exemplis antea Ravennæ deſcriptis, præſtari facile potuit. Exinde etiam patet, nullius roboris eſſe tum argumen-

tum

Digitized by Google

tum illud a Chriſt. Godofr. Hoſmanno *in Hiſtoria Juris Romano Juſtinianei lib.* 11. *cap.* 2. §. 9. ductum ex religione & reverentia, qua Codices illi a Piſanis cuſtodiebantur, quod & in mentem venit Cl. Grandio, qui *in not. ad Epiſt. de Pand. num.*29. ita ſcripſit, *nec vero ſumma, qua* (Etruſci libri) *cuſtodiri conſueverant, religio permittere poterat, ut cuilibet ad exſcribendum paſſim paterent*; tum aliud, quod vel Hoſmannus ipſe deſumit ex epiſtolis, & Decreto Ivonis Carnotenſis, qui leges ex Digeſtis commemoravit, licet anno 1116. obierit; quippe & antequam Piſis Exemplar illud extaret, & ante ipſam Ivonis ætatem exempla ex eo deſcripta fuiſſe conjicitur. Quo etiam difficultas diluitur ab Aſtenſi oppoſita *lib.* 11. *cap.* 3. *pag.* 41., ubi, ſi vulgares, inquit, Pandectæ ex Florentinis libris manaſſent, opus non fuiſſet eos fruſtillatim Bononiam deferre, prout Ravennæ reperiebantur, ſed integrum Pandectarum corpus delatum eſſet, nec diſtinctum in ff. Vetus, Inſortiatum, & Novum, ſicuti nec Florentini libri ita diſtincti ſunt, qua ratione etiam doctiſſimus Grandius utitur. Sed argumentationis hujuſce nulla vis eſt, quoniam Digeſta prius deſcripta ex laudato Exemplari, & in tres illas partes diſtincta fuerunt, quam Bononiam tranſlata eſſent: Quoniam vero etiam in duo tantum volumina, ut jam diximus, dividi ſolebant, fortaſſe quum primo Bononiam allata fuerunt, exiſti-

exiſtimabatur duobus illis voluminibus, nempe Digeſto Vetere, & Novo integrum opus contineri, in quorum primo initium Pandectarum, in altero finis conſpiciebatur. Sed quum poſtea compertum eſſet, intermedios libros deeſſe, ac forte quis Ravennæ aut alibi in aliquod Infortiati exemplar incidiſſet, quod deſinebat *in legem Quærebatur* 81. *ff. ad L. Falcid.* immo vero nec integra itidem ea lex extabat, ſed ſolum uſque ad Verſic. *Tres partes*, hoc ipſum qualecumque erat, Bononiam tranſlatum fuit. Conquiſiti poſtmodum, & in eam ipſam civitatem allati ceteri, qui in ipſo Infortiato habentur, poſteriores libri. Atque hæc, uti expoſuimus, tum Accurſii tum Odofredi in ſuperius laudatis locis ſententia videtur; ideo Accurſius ait, Jus, hoc eſt, Infortiatum redditum eſſe forte; ideo Odofredus ita ſcripſit, *poſtea fuit inventum Infortiatum ſine tribus partibus*: etenim poſtrema illa Infortiati pars, quæ deerat, *trium partium* appellatione deſignari cœpit: *poſtea fuerunt portati tres libri*, ut ait idem Odofredus, nempe liber Pandectarum XXXVI. XXXVII. XXXVIII. Utitur Odofredus rotundo, ut fieri plerumque ſolet, numero, quamvis præter illos libros, *ad. l. Quærebatur* ſuperſit reliqua pars ejuſdem tituli *ad L. Falcidiam*, & integer, qui ſequitur, Titulus II. libri XXXV. Nec mirum eſſe debet non fuiſſe eo tempore cuicumque, & ubique obvios libros omnes Pan-

Pandectarum, etenim ut videtur, plerumque jus reddebatur frequentius ex Conſtitutionibus Imperatorum, quæ in Codice Juſtinianeo continentur, quam ex Pandectis utpote anterioribus, quamvis Pandectarum uſus & auctoritas in Italia minime ſublata fuiſſet. At enim ſi Florentinum, ut hodie illud appellari mos eſt, Exemplar Ravennæ fuit; ſi ex eo deſcripta ibidem exempla, quomodo illud tandem Ravenna Piſas pervenit? Sane quod fieri potuit, pluribus conjecturis licet ſuſpicari; quod vere factum ſit, in tanto ſcriptorum, qui coævi fuerunt, ſilentio, nil affirmare meo periculo auſim. Ravenna Amalphin delatum fuiſſe antiquiſſimum illud Exemplar, ut ſuſpicari videtur Freherus *in Epiſt. ad Rudolph.* II. *ante Jus Græco-Rom. Leunclavii*, certo definiri non poteſt. Si Bulgarus, quem Piſanum fuiſſe pluribus contendit Cl. Grandius *in not. ad Ep. de Pand. num.* 28. patriæ ſuæ eximium hoc Exemplar dono dedit, quæ ipſius Grandii conjectura eſt *in Ep. de Pand.* §. 18., nil refragatur quominus recte exiſtimari poſſit Ravenna Bononiam delatum eſſe non eo tempore, quo primum Juris Civilis ſtudium Bononiæ florere cœpit, ſiquidem Pandectarum volumina per partes illuc allata fuerunt, ut Odofredus tradit, ſed multo poſt opera forte alicujus anteceſſoris Bononienſis Ravennæ comparatum. Sed quando plura argumenta oſtendunt, ex Flo-

Florentino Exemplari quidquid veterum ejuſmodi exemplorum ſupereſt profluxiſſe ; ex eo , quod ignoratur , quomodo Ravenna Amalphin , aut Bononiam , aut Piſas demum pervenerit , nihil efficitur ad ſubruenda ea , quæ pro Taurelli , & Auguſtini ſententia diſputantur .

CAPUT XIV.

Oppoſitio ex variis lectionibus Florentini Exemplaris , aliorumque librorum deſumta . Variæ lectiones imperitiæ librariorum tribuendæ : meliores interdum in Florentinis , quam in ceteris Pandectarum libris . Ejus rei exempla quædam .

SEntentiæ noſtræ , qua Florentinum Exemplar ceterorum , quæ ſuperſunt , archetypum eſſe contenditur , objici etiam ſolent variantes lectiones , quæ in vulgaribus Pandectis habentur haud raro quidem Florentinis meliores , & quæ interdum ſupplent quod iis deeſſe videtur : vulgares igitur , aliique Pandectarum libri non ſunt e Florentinis deſcripti ; quo ſane argumento doctiſſimi plerique Viri contra Taurelli, & Auguſtini ſententiam utuntur . Atque in primis Contius *ante ſuam Pandect. edit. in fine* hæc ſcripſit : *Huc accedat , quod in Digeſtis Veteribus , & Infortiatis manuſcriptis quædam extent pleniora , & perfectiora , quam Florentiæ , ut in l. Si duobus* 40. *, de Legat.* 2. *ipſe quoque Taurellus fatetur, & verum eſt.* Item Antonius Schultingius *in Juriſpr. ante-Juſt. in not. ad vit. Julii Pauli*

Pauli, *pag.*208.: *Atque hæ ipſæ*, inquit, *lectionum varietates id evincuut, non omnes codices e Florentino manaſſe*: *& in Enarr. part.* 1. *Digeſtor. in Proleg. n.*13.: *Multa in Baſilicis, Græciſque Interpretibus, multa quoque in vulgata editione reperiuntur inde differentia, ac ſæpe meliora.* Etiam Donatus Aitenſis *lib.* 11. *cap.* 3. *pag.* 44. *& ſeqq.* ideo negat vulgares Pandectarum libros e Florentinis eſſe deſcriptos, quod variæ lectiones ac pluribus in locis meliores habeantur in vulgaribus, quam in Florentinis Pandectis. Grandius quoque *in not. ad Epiſt. de Pand num.* 27. ait: *Variant etiam ſubinde lectiones, & aliquando melior, & ſanior apparet vulgat arum ſenſus, quam Florentinarum*. Neque omittendus eſt Abrahamus Wielingius, a quo *in Præfatione ante libros duos lectionum Juris Civilis*, objicitur *plurimorum Juris capitum plenior, & accuratior, quam in Etruſcis lectio*.

Quæ quum ita objiciantur, monet hic locus, ut de variis lectionibus, quæ in Florentinis, aliiſque Pandectarum libris reperiuntur, pauliſper differamus. Ac primo illud perſpectum, exploratumque eſt, librarios, etſi optimo archetypo uterentur, ſæpe tamen in exemplis deſcribendis vel ob imperitiam, vel ob incuriam erraſſe. Librariorum imperitia, qui Græcam aut Latinam linguam perfecte non callebant, vel rem ipſam, de qua agebatur, ignorabant, occaſionem ſæpe numero iis le-
ctioni-

ctionibus præbere potuit, quæ in vulgaribus Digeſtis diverſæ ſunt a Florentino Exemplari. Cujus profecto rei quamplura ſuppetunt exempla, ſed pauca quædam afferre, ſatis ſuperque erit.

Quum in *l. Si pecuniam* 33. *ff. de Pign. act.* *ἀντίχρησιν* vidiſſent librarii, & ſpeciem pignoris ita dati, ut donec pecunia ſolvatur, creditor eo utatur, vel fructus ex eo percipiat vice uſurarum, ea voce ſignificari neſcirent, *antiphonam* imperite ſubſtituerunt; unde antiquis interpretibus ad eum locum apinas, & tricas comminiſcendi occaſio data. Præterea in *l. Quærebatur* 20. *ff. Qui pot. in pign. hab.* ubi in Pandectis Florentinis legitur: *hyperocham ejus rei, quæ tibi pignori data eſſet*; ac paulo poſt: *pignoris hyperocha*: Librarii pro hyperocha ſcripſerunt in vulgaribus *hypothecam*. Nimirum ignorabant Græcam *Hyperochæ* vocem, cui parem Latinam, qua idem proprie demonſtretur, vix invenire licet, in eo loco deſignare id, quod plus eſt in pretio fundi, quam in credito prioris creditoris, ut ſi prior creditor crediderit LX. fundus autem ſit LXXX. fundi Hyperocha eſt XX. & hæc poſteriori obligata eſt, ut recte animadvertit Cujacius *lib.* IV. *Obſ. cap.* 25. & Ant. Faber *de Error. Pragm. Decade* XXI. *err.*10. *Lex Si filia* 20. *§. Neratius* 7. *ff. Fam. erciſc.* perperam in vulgaribus eſt *Lex Si uni*: quum enim in Pandectis Florentinis ante ea verba: *Si*

uni:

uni : legatur : *Papinianus ait* : Librarius exiſtimavit, id eſſe aliud caput, ſeu legem aliam diſtinctam a *l. Si filia* ; in quo ſane erravit, quoniam additum non fuiſſet in Flor. Exemplari *τὸ ait*. In ipſo autem ʃ. *Neratius* cùm plura in vulgatis aliter ac Florentiæ leguntur, tum illud etiam, quod in Florentino ſic extat : *nulla actione idem conſequi poſſe* : in vulgatis legitur : *nulla actione id conſequi poſſe* : haud enim librarii animadverterant apud veteres *em* idem eſſe ac *eum* : quod quum forte ignorarent, ſupervacaneum *τὸ em* eſſe putarunt : alii vero : *idem* : ſcripſerunt : quoniam Florentini Exemplaris ſcriptura in ſingulis capitibus, ſive legibus, etſi contigua non ſit, continua tamen ſine ulla diſtinctione eſt, nempe literæ ibidem non ſunt ſimul colligatæ & conexæ, verum inter dictionem unam, & alteram, quemadmodum & in antiquis aliis codicibus, nullum relinquitur majus intervallum, nulla major diſtinctio, ut ſæpe minus attento, minuſve exercitato difficile ſit verbum a verbo dirimere. Hinc factum, ut ex duobus illis verbis *id*, & *em* librarii quidam unum conficerent.

CA-

CAPUT XV.

Lectiones aliæ indicantur, in quibus etſi deſcitum conſtet a Florentino Exemplari, haud tamen conjici ex iis poteſt, vulgares, alioſque Pandectarum libros ex illo non profluxiſſe.

Quamquam & adducta ſuperiori capite exempla ſententiæ noſtræ non refragentur, immo vero eam magis confirment, alia tamen addere ex iis, quæ multa poſſent afferri, non erit, puto, ſupervacaneum. In *l. Ex imperfecto* 23. *ff. de Legat.* 3. Florentiæ ita ſcriptum eſt: *Decet enim tantæ majeſtati eas ſervare leges, quibus ipſe ſolutus eſſe videtur*. Exiſtimant librarii, ſive correctores mendum ineſſe in iis verbis: *ipſe ſolutus*: hæc enim *tantæ majeſtati* quod ad genus non conveniunt; ideo in vulgaribus ſcriptum eſt: *ipſa ſoluta*: Verum non animadverterunt, apud veteres & elegantes Scriptores genus interdum mutari, ac relationem fieri potius ad antecedentium verborum ſenſum, quam ad verba, quibus is ſenſus continetur. Hanc ipſam loquendi rationem, ſive ἐναλλαγή quædam ea ſit, a Græcis Magiſtris ἑτέρωσις, vel ἀλλοίωσις nuncupata, ſive, ut veriſimilius videtur, ἔλλειψιν eam eſſe dicamus, quoniam intelligitur ibi *Princeps*, *aut Imperator*, in pluribus auctoribus deprehendit Auſon. Popma *de uſu antiquæ loquutionis lib.* II. *cap.* 2. & in Romanis quoque Juriſconſultis

Noodtius *Obſ. lib.* 1. *cap.* 4 *in fine*, præcipue vero apud Ulpianum in *l. Pronuntiatio* 195. *ʃ. familiæ* 2. *ff. de Verb ſign.*: *Cum pater familias moritur, quotquot* CAPITA *ei* SUBJECTA *fuerint, ſingulas familias incipiunt habere*: SINGULI *enim patrum familiarum nomen ſubeunt*: ubi intelligendi ſunt *homines*, ut nemo non videt. Ulpianus idem in *l.* 1. *in princ. ff. de Pactis*. *Hujus*, inquit, *Edicti æquitas naturalis eſt: quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter* EOS *placuerunt ſervare*? Ita editum eſt in Florentinis Pandectis: vulgata quoque Digeſta habent *inter eos*; neque opus eſt emendatione Elberti Leonini *lib.* 1. *Emendat cap.* 16. *n.* 1. qui ex antiquo MS. reponit.: *Quid enim magis humanæ fidei eſt congruum, quam ea obſervari, quæ inter homines placuerunt*.

Addam & varias quaſdam lectiones in Digeſtorum Procemio, ſive *Conſt. omnem ʃ. Illud vero ſatis* 9. Florentiæ ita legitur: *Et toto poſtero tranſmittimus ſæculo: cum oportet prius animas, & poſtea linguas fieri eruditos*. Hæc a ſemidoctis librariis, vel correctoribus, qui in Florentina ſcriptura ſtribliginem ineſſe putabant, ita in vulgaribus ſcripta ſunt: *& toti poſtero tranſmittimus ſæculo, cum oporteat prius animas, & poſtea linguas fieri eruditas*. Sed nulla opus erat emendatione; veteres enim, quemadmodum in ſecundo caſu *toti* dixerunt, ita etiam *toto* in tertio caſu. Celſus *lib.* IV. *cap.* 12.: *Commodiſſimum eſt*

eſt inter initia calida cataplaſmata toto ventri imponere, ut dolorem leniant: quamvis in aliquibus editionibus legatur *toti*. Certe olim, ut obſervant Grammaticorum filii, adjectiva quædam, quæ genitivum in *ius*, dativum in *i* habent, analogice ad normam ſecundæ declinationis in omni genere inflectabantur, veluti *ullus*, *alius*, *totus &c* quibus ſecundus caſus in *i*, vel *æ* deſinebat. Terent. *in Andr. A* III. *ſc.* 5.: *Quandoquidem tam iners tam nulli conſilii ſum*. Cic. lib. II. de Divinat. *Aliæ pecudis jecur*: Dativus autem in *o*, vel *æ*. Ita apud Auct. ad Herenn. legitur *lib.* IV.: *Non res totæ rei neceſſe eſt ſimilis ſit*. Nec mirum eſſe debet, rationem loquendi priſcis uſitatam a Triboniano quoque eſſe interdum adhibitam; conſtat enim, Scriptores etiam inferiore ævo, & prolapſa jam latinitate ἀρχαϊσμοὺς aliquando uſurpaſſe. Triboniano Leges XII. tabularum antiquiſſimis dicendi generibus refertiſſimæ, quæ apud Gaii Commentarios habebantur, antiquarum præterea Legum & Senatuſconſultorum fragmenta, item Papiniani opera, cui priſcis uti verbis amicum fuit, perſpectiſſima erant. Quid? quod in ipſis Florentinis Pandectis plura antiquorum more conſcripta ſunt, exempli cauſſa, pluralis nominum tertiæ declinationis accuſativus non ſemel in *is* effertur, quod & animadvertit Emin. Noriſius *Cen. Piſ. Diſſ.* IV. *cap.* 3.? Plura etiam in Pandectis veſtigia antiquitatis oſtendit Ant.

Auguſtinus *Emendat. lib.* II. *cap.* 2. Sed ut ad ſuperius allata Conſtitutionis Juſtinianeæ verba revertamur, nec ubi ſcriptum eſt: *eum oportet*: emendanda erat Florentina ſcriptura, ſiquidem & hanc loquendi rationem apud probatiſſimos auctores invenire eſt, a quibus conjunctio illa *cum*, hoc eſt *quia*, ſeu *quandoquidem* indicativo jungitur: Terentius *in Andria A.* III. *ſc.* 2.

> .... *quandoquidem ipſe eſt ingenio bono,*
> *Cumque huic veritus eſt optuma adoleſcenti ſacere injuriam.*

Cic. ad familiar.: *Tibi maximas gratias ago, cum tantum meæ literæ potuerunt*. Neque illud quoque temere mutandum erat: *prius animas, & poſtea linguas fieri eruditos*: quis enim ignorat ibi intelligendam eſſe præpoſitionem κατὰ, quemadmodum & apud Virgilium *Æn. lib.* I. *v.* 717. *Similis Deo os, humeroſque*? Integra igitur loquutio erit: *cum oportet prius* κατὰ ſecundum *animas*, & poſtea κατὰ *linguas fieri eruditos*, nempe *eos* homines, *qui legitima peragunt ſtudia*: ut ſuperius Tribonianus dixerat. Itaque dum librarii vel correctores in vulgaribus Digeſtis deſcribendis, corrigendiſque eum locum, ſi diis placet, emendare ſtuduerunt, reprehenſionem quodammodo ſubjiſſe videntur, qua D. Hieronymus *in Epiſt. ad Lucinium Tom.* IV. *P.* 2. *col.* 578. notarios librarioſque perſtringit, *qui ſcribunt non quod inveniunt, ſed quod intelligunt, & dum*

alienos

alienos errores emendare nituntur, oſtendunt ſuos. Quamobrem ſi in pervetuſto aliquo codice obſcuriores lectiones, vel antiquiores, minuſve uſitatæ voces, aut loquutiones occurrant, cujuſmodi plures extant in Etruſco Exemplari, quum alii codices clariora ſæpe ea omnia, atque uſitatiora exhibeant, tum ſane credibile eſt, codicem illum ceteris antiquiorem eſſe, neque improbabile prorſus ſit, hos ex illo fuiſſe deſcriptos: etenim nulla ratio fuit, quare clariori, aut recentiori obſcurior, aut antiquior vox, aut loquutio ſubſtitueretur, *nec librarii verba explicatu facilia in difficiliorem ſenſum ſolent mutare: & quæ non intelligunt, clariori, ut putant, modo exprimere*, quemadmodum recte monet Schultingius *in Jurisſpr. ante Juſt. ad Ulp. tit.* 21. *§*. 8. *num.* 27. *pag.* 596. Ita recte Joh. Georg. Grævius *in Lectionib. Heſiodeis cap.*22. *ad. v.* 28. *τῆς Θεογονίας*, antiquam quorumdam librorum lectionem probat, in quibus ſcriptum erat γηρύσασθαι, non ut vulgo μυθήσασθαι, additque, *ſciunt enim qui veterum ſcripta cum judicio verſarunt, rariora & exquiſitiora ſemper fuiſſe expuncta, & pro iis ſuppoſita trita, & ab uſu vulgi minus remota*. Id factum videtur *in l. Domus* 58. *ff. de Legat.* 1. ubi legitur in Etruſco Exemplari *ædificiorum ætatibus*, in vulgatis *ædificiorum quantitatibus*. Ætas eo loco deſignat quantitatem, ſeu modulum, menſuram, amplitudinem, & magnitudinem ædificiorum: quippe ætatem, ut re-

ut recte animadvertit Cujac. *ad Papinian. in d. l.* , *&* *Obſ. lib.* vi. *cap.* 3. Latini interdum accipiunt pro quantitate , menſura , magnitudine corporis cujuſque ; Græci quoque ἡλικίαν ſumunt non tantum ἀπὸ τοῦ χρόνου , ſed etiam ἀπὸ τοῦ μεγέθους , καὶ μήκους . Hesychius : ἡλικία , μέγεθος σώματος μέτρον τί. Gloſſæ veteres a Labbæo collectæ: ἡλικία , τὸ μῆκος, *ſtatura* . ἡλικία ἡ ἀπὸ τοῦ χρόνου, *Evum* , *Etas* . Quare in vulgatis τὸ *quantitatibus* gloſſema eſſe videtur, & explicatio rarioris alterius vocabuli *ætatibus* .

Sed & interdum ubi in Florentinis Pandectis emendatione opus erat , inepta emendatio conſpicitur in vulgatis , cujus rei exemplum ſuppeditat *Lex Cum heres* 4. §.1. *ff. de Statu lib.* ubi Paulus ait : *Non eſt ſtatu liber , cui libertas in tam longum tempus collata eſt , ut eo tempore is , qui manu miſſus eſt , vivere non poſſit : aut ſi tam difficilem , immo pene impoſſibilem condicionem adjecerit , ut aliunde* (ſive , ut Jo. Fr. Gronovius *de pecun. vet. lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* 81. legit , *illi inde*) *ea libertas optingere non poſſit , veluti ſi heredi miles dediſſet* . Sic Florentiæ legitur , ut obſervat Ant. Aug. *Emend. lib.* 1I. *cap.6 in fine* . Proculdubio legendum *millies* Romanorum more , quos brevitatis ſtudio ἐλλειπτικῶς *decies* , *centies* , *millies* ſcripſiſſe conſtat, pro *decies centena millia* , *centies centena millia* , & *millies centena millia* ; adeoque *millies* in eo §. deſignat quod vulgo dicunt *centum milliones* . Male , ut obſervat

vat Cujac. *Obſ. lib.* XXI. *cap.* 39. Baſilici interpretantur *ſi heredi centum myriadas nummum dederit*, & pejus Dorotheus *ſi chiliadas*: nam chiliades ſunt inferiores myriadibus. Peſſime vero Latini Librarii *mille* in vulgatis ſcripſerunt. Haud enim difficilis cenſetur conditio *ſi mille dederit*, ut pene impoſſibilis videatur; quum ne ipſa quidem conditio *ſi decem millia heredi dederit* difficilis reputetur, & ſub hac conditione liber eſſe juſſus, decem millia dando, ad libertatem perveniat, ut ex Ulpiano conſtat *tit.* 1I. *§*. 4. Quamobrem ex adductis lectionibus, quæ in vulgatis diſſentiunt a Florentinis, potius eruitur, librarios vel correctores propemodum feciſſe næ intelligendo, ut nihil intelligerent, quam colligi poſſit, cetera exempla e Florentino codice non profluxiſſe.

Præterea argumentum ipſum ex variis lectionibus ductum nullius roboris eſſe, ex eo etiam oſtenditur, quod ex librariorum imperitia, vel incuria, vel forte ex dictantis pronuntiatione minus diſtincta fieri poteſt, ut quæ ex uno derivata ſunt Exemplari, varie ſe habeant. Huc ſane referri poſſunt duo menda, quæ exorta ſunt in vulgaribus libris *in l. Regula §. penult. ff. de Jur. & facti ignor.* Paulus IC. Reſcriptum ibi affert Severi & Antonini: *Sed & Imperatores Severus, & Antoninus in hac verba reſcripſerunt*. Eos quidem eſſe conſtat L. Septimium Severum, & M. Aurelium Antoninum

Caracallam, qui interdum ſolo Antonini nomine deſignatur: Herodianus *hiſtor. lib.* III. *cap.* 15. *ὁ Ἀντωνῖνος, τοῦ πατρὸς ἀποθανόντος*, *Antoninus patre mortuo*. Euſeb. *hiſt. Eccl. lib.* VI. *cap.* 16. *κατὰ τοὺς χρόνους Ἀντωνίνου τοῦ υἱοῦ Σεβήρου*, *temporibus Antonini filii Severi*. Ita etiam in Appendice ad marmora Oxonienſia pag. 304. hæc habentur:

OI . ΘΕΙΟΤΑΤΟΙ .
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΕϹ . ϹΕΟΥΗΡΟϹ .
ΚΑΙ . ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ . ΤΟΙϹ .
ΣΜΥΡΝΑΙΟΙϹ .

Ita apud Ulpian. in celebri *l. In orbe* 17. *ff. de Statu hom.* conſtitutio Imperatoris Antonini eſt Imp. Caracallæ. Verum in *d. l. Regula §. penult.* in vulgatis Digeſtis librarii ſcripſerunt: *Sed & Imperatores Verus, & Antoninus*. Perperam ſane, etenim Juriſconſulti M. Antoninum Vero præponunt quum M. Aurelium Antoninum Philoſophum, & L. Ælium Verum deſignant: Ulpianus in *l. Fidei commiſſa* 11. *§. ſi in opere* 23. *ff. de Legat.* 3.: *Divus Marcus & Lucius Verus Proculæ reſcripſerunt*. Idem Ulp. in *l. Cum quaſi* 30. *§. ſi aliter* 13. *ff. de Fideic. libert.*: *Extat Reſcriptum Divorum Marci & Veri*. Papirius Juſtus *in l. ult. ff de Adm. rer. ad civit. pertin.*: *Imperatores Antoninus, & Verus reſcripſerunt*. Et ſimiliter *in l.* 3. *ff. ad L. Jul. de annona, & in l. ult. in princ. §.* 2. *& §. ult. ff. ad Municipal. l. penult. ff. de Decurionib.* Modeſtinus in *l. Si duas* 6.

§. am-

§. *amplius* 18. *ff. de Excuſat.* Μάρκος, καὶ Βῆρος, ubi hæc animadvertit Ant. Auguſtinus *ad Modeſtinum lib. ſingulari : Imperatores autem in omnibus libris præter Noricum & Baſilienſem Marcus & Severus appellantur : quoniam id initio fuerat Florentiæ ſcriptum : quod Politianus quoque deſcripſit . Sed tamen prima ſyllaba in optimo illo libro expuncta eſt .* Quod forte adhuc factum non erat quum exempla ex eo deſcriberentur. Apud Theophilum a Frobenio editum a. 1534. & a Dion. Gothofredo a. 1610. hæc habentur in §. 6. *Inſt. tit. de Excuſ.* οἱ θειότατοι ἀδελφοὶ Σεβῆρος, καὶ Ἀντωνῖνος ἀντέγραψαν. Perſpicuum omnino eſt etiam hoc loco *Severum* pro *Vero* ſcriptum eſſe, quemadmodum & Eraſtius *Var. Obſ. lib.* 1. *cap.* 14. ita emendavit Βῆρος, καὶ Ἀντωνῖνος : ſed aliter Romani Juriſconſulti loquuntur, qui, ut diximus, M. Antoninum Vero præponere ſolent: ſuſpicari licet verba illa Σεβῆρος, καὶ Ἀντωνῖνος antiquum gloſſema eſſe, ideo recte ea Fabrotus omiſit, quemadmodum nec in Latinis Juſtiniani Inſtitutionibus habentur, ſed Divi Fratres dicuntur. Alibi etiam tum in Florentinis, tum in vulgatis Pandectis erratum eſt a librariis, qui Severum pro Vero, aut Antonino ſcripſerunt. In Indice Florentinis Pandectis præfixo inter Pauli μονοβίβλα recenſetur liber *ad orationem Divi Marci*, ex quo libro deſumtas eſſe *l. ſciendum* 20. & *l. Si quis tutor* 60. *ff. de Ritu nupt.* recte monet Wieling. *in Ju-*

in Juriſpr. reſtit. pag. LXXXVIII. cujus ſententiam probant Franc. Carolus Conradus Hiſt. Pand. ad Ind. Flor. & Georg. d'Arnaud *Variar. conject. lib.* II. *cap.* 17. Recte vero ſic habet Inſcriptio d. l. 60. : *Idem* Paulus *libro ſingulari ad orationem Divi Antonini & Commodi*, ubi Antoninus eſt D. Marcus, arg. *l. Non ſolum 67. §. ſed videamus 3. ff. de ritu nupt.* Perperam ſcriptum eſt in Inſcriptione *d. l.* 20. *Paulus libro ſingulari ad Orationem Divi Severi & Commodi*: cui ſane lectioni refragatur hiſtoria; ideo ſcribendum vel cum Wielingio *Antonini & Commodi*, vel forte *M. Veri & Commodi*, nam & M. Antoninum a Græcis ſcriptoribus Verum appellari ex Valeſio *ad Ammian. Marcellinum l.* XXVII. *cap. 6. pag.* 381. tradit idem D'Arnaud laudato loco.

Sed jam redeamus ad *l. Regula §. penult. ff. de Juris & facti ign.* In eodem Severi, & Antonini Reſcripto hæc Florentiæ leguntur: *Pecuniam ad opus aquæductus Reipublicæ Cirthenſium relictam*. Livius lib. XXX. *Cirtha*, inquit, *caput regni Syphacis erat*. Syphacem vero Maſæſylorum regem fuiſſe conſtat ex eodem Livio *lib.* 28. ubi & hæc habet: *Maſæſuli gens adfinis Mauris regionem Hiſpaniæ, maxime qua ſita nova Carthago eſt, ſpectant*. Quum vero librariis ignotum forte eſſet urbis illius nomen, ſcripſerunt in vulgaribus *Reipublicæ Cyrenenſium*. Simile illud eſt, quod habetur in *l.* 1. *§. penult. ff. de*

Polli-

Pollicitat. etenim in Florentino Exemplari legitur : *Columnas Citienſibus promiſiſti* : in vulgaribus perperam ſcriptum eſt *Circenſibus* . Cujacius *Obſ. lib.* III. *cap* 38. id accipiendum eſſe docuit de republ. Citienſium: eſt autem Citium Livio teſte lib. XLII. Macedoniæ oppidum. Addit deinde doctiſſimus Cujacius, ex ea civitate Zenonem Citienſem dictum eſſe a Gellio *Noct. Attic. l.* XVII. *cap. ult.* Sed humani aliquid paſſus eſt clariſſimus Interpres, eumque ſequutus Dionyſ. Gothofredus *in d. l.* I. *§. penult.* Etenim Zeno a Cittio urbe Græcanica in Cypro inſula Cittieus a Cicerone *V. Tuſculan.* Cittienſis a Gellio dictus eſt. Laertius *lib.* VII. *in princ.* : Ζήνων Μνασέυ, ἢ Δημέυ, κιττιεὺς, ἀπὸ Κύπρυ πολίσματος ἑλληνικῦ, φοίνικας ἐποίκυς ἐσχηκότος. *Zeno Mnaſei ſive Demei filius Cittieus a parva Cypri urbe Græcanica, quæ Phœnices incolas habuit* . Strabo *lib.* XIV. *prope finem*, ubi Cyprum deſcribit : *Poſtea*, inquit, *eſt ſinuoſa quædam, & aſpera præternavigatio, ea Cittium itur, quæ civitas portum clauſum habet. Ex hac Zeno fuit Stoicæ ſectæ auctor, & Apollonius Medicus.* Nec novum eſt, librarios erraſſe in deſcribendis urbium nominibus: Ita apud Stephanum de Urbibus legitur : ἔστι καὶ αἰγαῖον πεδίον συνάπτον τῇ Κιῤῥᾳ ὡς Ἡσίοδος. *Eſt & Ægæus campus annexus Cirrhæ, ut apud Heſiodum* . Proculdubio ſcriptum erat Κύβρᾳ : etenim Cirrha nulla eſt in Creta, ut animadvertit Grævius *Lection. Heſiod.*

Heſiod. cap. 25. *ad verſ.* 484. τῆς Θεογ. Sed Cybra appellabatur, quæ & alias Hiera Pytna, ſic enim Stephanus ipſe : Ἱερὰ Πύτνα, πόλις Κρήτης ἡ πρότερος Κύβρα, εἶτα Πύτνα, εἶτα Κάμιρος, εἶθ' ὕτως ἱερὰ Πύτνα. Similiter apud Ulpianum *tit.* 22. *§.* 6. *Minervam Milienſem* ſcripſerunt, quum ſcribere deberent *Minervam Ilienſem*, ut ex Turnebo, aliiſque recte tradit Schultingius *in Juriſprud. ante-Juſt. ad eum §.* 6. *num.* 19. *pag.* 635. *& ſeq.*

Atque hactenus quidem quæ ex Pandectis protuli variarum lectionum exempla magis indicare videntur, vulgares Pandectas e Florentinis prodiiſſe, erratumque in iis deſcribendis eſſe, quam contrarium ſuadere poſſint. Quum enim pleraque in præſtantiſſimo hoc Exemplari recte ſe habeant, ſed vel Græca, vel alias remota a communi loquendi conſuetudine ſint, vel gentes denique minus notas deſignent, his omnibus commoti ſive dictantes, ſive librarii, ſive correctores Florentinam lectionem mutarunt. Adde librariorum maxime incuriam, & oſcitantiam; adde ipſam lucri citius capiendi cauſſa feſtinationem, ac metum præterea, ne correctione nimia deformatis codicibus, plurimum de eorum pretio decederet, neve ſcribentis negligentia primo ſtatim aſpectu ab emtoribus detegeretur, aut ſaltem integras aliquot paginas iterum librarii ipſi deſcribere cogerentur. Quare quum de conferendis cum anti-

antigrapho exemplis nimium ſolliciti non eſſent, immo vero ſæpe τὴν ἀντιβολὴν prorſus refugerent, ſumtui, ac tempori parcebant, ſibique ocyus pecuniam vel ex ipſa negligentia parabant. Neque mirum eſſe cuiquam debet, librarios ab exemplari ſibi propoſito ſæpe aberraſſe: erant enim rerum, ac ſententiarum, quas deſcribebant, plerumque ignari; neque tantum imperiti homines, & qui quæſtuariam artem exercent, in errores ſcribendo inducuntur, ſed & peritiſſimi quoque viri, non lucri, ſed ſolius gloriæ appetentes, atque avidi laudis, quive tantum publicæ utilitati inſervire ſtudent, pro literis, atque integris etiam dictionibus, quas animo conceperant, alias inviti deſcribunt. De Auguſto Cæſare, eruditiſſimo ſane viro, Suetonius in ejus vita *cap.* 88.: *Nam quod ſæpe*, ait, *non literas modo, ſed ſyllabas aut permutat, aut præterit, communis hominum error eſt*. Ingenue doctiſſimus Cujacius fatetur *lib.* 1. *Obſ. cap.* 36.: *Sæpe fit, uti nos manus in ſcribendo fallat*. Ex quibus profecto omnibus luculenter conſtabit, argumentum, quo merito negetur, vulgares e Florentinis Pandectis duxiſſe originem, recte ex variis lectionibus duci non poſſe.

Præterea, quoniam nulla fere dictionum intervalla, & raræ admodum ſunt in Florentino Exemplari interpunctiones, quum in deſcribendis, corrigendiſve exemplis, aut verba interme-

termedio ſpatio relicto diſtinguerentur, aut puncta adjicerentur pro cujuſque arbitrio, variæ aliquot lectiones exinde enatæ obſervari facile poſſunt, quemadmodum & Hadriani ævo Nicanor ille Grammaticus Alexandrinus *στιγματίας* appellatus differentiam oſtendit, quæ maxime apud Homerum, & Callimachum ex varia interpunctione oriebatur. Neque omittendum eſt, in ipſo Etruſco Exemplari quædam vel inepte emendata eſſe, unde alii veterem ſcripturam, alii correctionem ſequuti ſunt. Accedat demum diligentiſſimi Brencmanni obſervatio, qui *in Hiſt. Pand. lib.* III. *cap.* 2. *pag.* 232. ait: *Quo antiquiora ſunt MSS. eo minus a Florentino diſcedere.*

CAPUT XVI.

Diverſa, quæ in Inſcriptionibus Legum habentur, Juriſconſultorum nomina in variis Pandectarum Exemplis, minime probant, hæc ex Florentino Codice originem non habuiſſe. Plures hujuſce diverſitatis cauſſæ afferuntur. Objectio diluitur ex eo ducta, quod in vulgatis diſtinctæ quædam Leges habentur, quæ in Florentino unicam conficiunt in plures Paragraphos tributam.

AD varias lectiones, ex quibus nonnulli negant omnia, quæ habemus, Pandectarum Exempla ex Etruſco manaſſe, & illud pertinet, quod in eam rem poſt Cl. Donatum Aſtenſem *lib.* II. *cap.* 3. *pag.* 44. ſcripſit Cl. Grandius

dius *in notis ad Epiſt. de Pandectis num.* 27. his verbis : *Ceterum in vulgatis Pandectis aliquot Leges quibuſdam Juriſconſultis tribuuntur, quæ in Florentinis ad alios auctores relatæ ſunt*. Quod tametſi verum proculdubio ſit, noſtram tamen ſententiam infringere poſſe, nequaquam videtur. Etenim Pandectarum Exemplaria, quæ primum auctoritate Juſtiniani prodierunt, probabile admodum eſt, ſimul collata fuiſſe, & ad archetypi alicujus rationem exacta, ne quid in uno ab alio diverſum, vel alteri contrarium in iis reperiretur. Quis enim putaverit, tantam fuiſſe Juſtiniani, ac Triboniani oſcitationem, ut plura Legum Exemplaria proponi, ac publicari vellent dubii, & incerti an ea, inter ſe conſentirent? Variantes igitur lectiones ab imperitis, vel minus cautis librariis, qui varia ſubinde exempla deſcripſerunt, vel ab audacibus correctoribus originem duxiſſe, neceſſe eſt. Jam ſi varietas hujuſmodi, ut quæ in uno exemplo tribuebantur, e. gr., Paulo, in alio adſcriberentur Ulpiano vel Pomponio, contingere in iis libris potuit, qui ex prioribus exemplaribus profluxerunt; quidni potuit ſimilis etiam oriri, poſtquam exempla ex codice, qui nunc Florentinus dicitur, deſcribi cœperunt? Quonam felici ſydere faciendum fuiſſe putabimus, ut quum in ceteris libris iterum, ac ſæpius deſcribendis errores propemodum innumerabiliter multiplicati ſint, id ſoli Florenti-

no

no Exemplari vel ex ipſo deductis exemplis omnino concedendum eſſet, ut quotquot ex eo deſcriberentur codices, eorum nemo unus ab illo poſſet unquam deflectere, nullæ in iis variæ lectiones, nullus in nominibus propriis tranſcribendis error, nulla incuria, σφαλμα, vel παρόραμα nulla deberet umquam dignoſci. Profecto major non urget ratio exiſtimandi Scriptores librarios unum pro alio Juriſconſulti nomine uſurpaſſe potius in veteribus illis libris, ex quibus vulgata Digeſta deſcripta finguntur, quam in iis, qui ex Florentino deſumti fuerunt. Illud quoque accedit, quod cujuſlibet fere libri exempla vel ab uno Codice primum profluxerunt, vel ſi auctor opus ſuum pluribus excipiendum dictavit, ipſa auctoris viva vox una fuit: nihilominus qui umquam reperiuntur veteres codices, qui variis lectionibus non ſint referti? Quare nullius momenti collectio iſthæc videtur: Pandectarum exempla, quæ extant, varias perſæpe habent lectiones; diverſa in Inſcriptionibus Legum præſeferunt auctorum nomina; ergo a Florentino Exemplari non profluxerunt.

Quum plures autem afferri poſſint cauſſæ, cur in nominibus propriis Juriſconſultorum deſcribendis erratum ſæpenumero ſit in vulgatis Digeſtis, tum præcipua eſſe videtur nominum ſimilitudo. *Lex ultima ff. De in int. reſtit.* ſic inſcripta eſt Florentiæ: *Macer libro ſecundo de ap-*

de appellationibus. In vulgatis legitur: *Marcellus lib.* 11. *de appellationibus*. Index Florentino Exemplari præfixus habet: Μακρȣ *de appellationibus* βιβλια δυο. Marcello autem nullus de appellationibus liber adſcribitur: quare ea *Lex ult.* Æmilio Macro tribuenda eſt. Errori cauſſam dediſſe videtur cum nominum ſimilitudo, tum inſcriptio ſuperioris *Legis Divus*, in qua recte habetur: *Marcellus libro tertio Digeſtorum.*

Florentiæ lex *Cum debitore* 32. *de Pign. act.* inſcriptionem hanc præſefert: *Marcianus libro quarto regularum*: vulgata habent: *Marcellus libro* 4. *Digeſtorum*. Nominum ſimilitudo aliqua varietatem hanc peperiſſe videtur. Erravit primum librarius, qui pro Marciano ſcripſit *Marcellus*: quoniam vero hic nullos regularum libros, ſed tantummodo notas ad Pomponii librum ſingularem regularum conſcripſit, ſi vera habet inſcriptio *l. Furioſus* 63. *ff. de Adq. vel om. hered.* nempe: *Libro ſingulari regularum Pomponii Marcellus notat*: idcirco alter ſubinde in inſcriptione d. l. 32. enatus error, ut pro *regularum*, ſcriptum fuerit *Digeſtorum*; quippe Marcellus, ut Index Florentinus habet, ſcripſit *Digeſton* βιβλια τριακοντα εν. Verum Florentina lectio proculdubio præferenda: Marcianus enim, ut in laudato Indice legitur, ſcripſit *Regularion* βιβλια πεντε: Idcirco Inſcriptio ſequentis *l.* 33. *ff. eod. tit. de Pign. act.* recte habet apud Dionyſ. Gothofredum: *Idem*

lib. ſingulari ad formulam hypothecariam : nam & in Florentino Indice extat inter Marciani opera ὑποθηκαρίας μονοβίβλον .

Inſcriptio *Legis 7. de Teſtament.* hæc eſt in Flor. Pandectis : *Æmilius Macer libro primo ad Legem viceſimam hereditatum* : Sed in vulgatis, Martiani nomen, omiſſis reliquis Inſcriptionis verbis, deſcriptum eſt ; eamdemque Legem Haloander Marciano, alii Marcello adſcripſerunt.

In Inſcriptione *L. Ut heredibus* 51. *ff. de Legat.* 2. Florentinus liber habet : *Marcellus libro viceſimo octavo Digeſtorum* : In vulgatis eſt *Martius* : in aliquibus libris legitur *Marcianus*.

Lex Mille 154. *ff. de V. S.* hanc in Florentinis habet Inſcriptionem : *Macer libro primo ad Legem Juliam, & Papiam* : In vulgatis legitur : *Martianus*, nec aliud quidquam additur. In aliquibus libris legitur : *Macer libro primo ad legem viceſimam*. Quæ Inſcriptio recta eſt : etenim in Indice Florentino inter Macri opera legitur Εικοστων βιβλια δυο.

Addatur & Inſcriptio *Leg. Intelligendus* 153. *ff. de Verb. ſign.* quæ in Florentinis hæc eſt : *Terentius Clemens libro ſecundo ad Legem Juliam, & Papiam* : vulgo legitur, *Herennius*, ceteris omiſſis.

Præter hujuſmodi varietates ex nominum ſimilitudine exortas, etiam ex ſimilitudine operis factum aliquando eſt, ut unius Juriſconſulti no-

ti nomen pro alio ſcriberetur. Marcellus notas ſcripſit ad libros Digeſtorum Juliani, unde ſumtæ fuerunt *Lex Interdum* 14. *ff. de In rem verſo*, *L. non dubitamus* 10. *ff. de Cond. & dem.* aliæque Pauli etiam notæ ad Julianum extabant, ut conſtat ex *l. Si prætor* 75. *verſ. Paulus notat ff. de Judiciis*, ex *l. Prætor* 3. *§.* 1. *ff. de Collat. & ſimilibus*. Quare quum Inſcriptio legis *Si quis alius* 11. *ff. Quod met. cauſſa* ita forte concepta eſſet, ut legitur apud Dionyſ. Gothofredum: *Paulus libro quinto (Juliani) Digeſtorum notatorum*: In vulgatis ſcriptum eſt: *Marcellus lib.* 5. *Juliani Digeſt. notat*. Sic Inſcriptio *leg.* 1. *ff. Fin. reg.* Florentiæ hæc eſt: *Paulus libro* 23. *ad Edictum*: in vulgatis: *Cajus libro* 7. *ad Edictum provinciale*.

Unum quoque Juriſconſulti opus incuria forte librariorum in vulgatis interdum pro alio ejuſdem opere ſcriptum eſt. Exemplum præbet Inſcriptio *legis Si pignus* 37. *ff. de Pig. act.*, ubi Etruſcum Exemplar habet: *Paulus libro quinto ad Plautium*; in vulgatis legitur: *Paulus libro* v. *ad Edictum*.

Item ex propinquis legibus, quum forte ſcribentis oculi aberrarent, orta aliquando variatio. *Lex Et ideo rationis* 21. *ff. de Legibus* hanc in Florentinis habet Inſcriptionem: *Neratius libro ſexto membranarum*:. In aliquibus legitur: *Julianus lib.* 90. *Dig.* Ortus fortaſſe error ex eo, quod ſuperior *Lex* 20. habet: *Julianus libro* 55. *Dig.*

 In-

Interdum vero ubi Florentina alicujus legis Inſcriptio paulum recedit a forma, quæ in ceteris legum Inſcriptionibus ſervari ſolet, ibi maxime in aliis libris erratum eſt: ex quo potius colligitur hos a Florentino propagatos eſſe, quam contrarium probari poſſit. Luculentiſſimum ſuppeditat exemplar Inſcriptio *Legis* 4. *ff. de Reſc. vend.* quæ Florentiæ hujuſmodi eſt: *Libro quarto Digeſtorum Juliani Paulus notat*. Quantum ab aliis Inſcriptionibus, in quibus præpoſito Juriſconſulti nomine, ſubjicitur ejuſdem opus, hæc ipſa Inſcriptio differat, nemo eſt qui non videat; quare exiſtimarunt forte librarii, vel correctores, mendum hic eſſe: ideo in vulgatis ſcriptum eſt: *Item li.* 8. *Dig. Jul. Pau.* 20.: In aliquibus legitur: *Paulus lib.* 8., ac lex ipſa, quæ in Florentino Exemplari incipit *Si emtio*, in nonnullis libris incipit *Paulus notat*; in quibuſdam *Proculus notat*.

Lex 4. *de Donationib.* vulgo ita inſcribitur, teſte Laur. Theod. Gronovio *Emend. Pandect. cap.* 25. *pag.* 76. *Paulus libro ſeptimo decimo ad Sabinum*: In Baſilicis & quibuſdam editionibus Pomponio adſcribitur. Taurellus emendavit in margine *Pomponius*, cui ſane tribuenda eſt, etenim in Codice Florentino ſolum 16. libri Pauli ad Sabinum memorantur: *Παυλȣ adSabinum βιβλια δεκα εξ*: Pomponii vero quinque & triginta *Πομπονιȣ ad Sabinum βιβλια τριακοντα*

κοντα

κοντα πεντε. Sed quum in Florentinis Pandectis utraque ſcriptura exiſtat, *Paulus*, *Pomponius*, ut animadvertit Schultingius *Juriſprud. ante-Juſt. in notis ad Pauli vitam pag.* 208. factum exinde videtur, ut in Inſcriptione *d. l.* 4. ab aliis Pauli nomen, ab aliis Pomponii ſcriptum ſit. Quod ſane potius confirmare videtur ſententiam noſtram, quam illud probare, quod colligit Schultingius laud. loco, videlicet non omnes Codices ex Florentino profluxiſſe.

Librariorum vero negligentiam in deſcribendis potiſſimum legum Inſcriptionibus, quamplura facile oſtendunt: ſæpiſſime enim, præſertim in Infortiato, & Digeſto Novo, ſolum Juriſconſulti nomen deſcripſerunt, omiſſis reliquis Inſcriptionum verbis, quibus liber, unde ea lex deſumta erat, deſignabatur. Sæpe etiam quum in Florentino Exemplari contigua ſcriptura ſit, nullis dictionum intervallis, adeoque Inſcriptiones cum Juriſconſultorum verbis conjunctæ ſint, verba, quæ ad ἐπιγραφὴν legis pertinebant, ita ſcripſerunt, ut ea partem legis conſtituerent. Cujus quidem rei plura profert exempla Ant. Auguſtinus *Emend. lib.* 1. *cap.* 4. & Bynkershoek *Obſ. lib.* IV. *cap.* 13. Inſigne illud eſt in *l.* 41. *ff. de Liberali Cauſſa*, ubi in vulgatis verba Legis hæc ſunt: *Liberalis cauſſa ſi in obſcuro ſit, in quorum erit ſtatu is, qui pro libertate ſua litigat: prior audiendus eſt &c.* Florentiæ vero fuit: *Paulus libro ſingulari de ar-*

H 3 *ticulis*

ticulis liberalis cauſſa : Si in obſcuro ſit, in quo fuerit ſtatu is, qui pro libertate ſua litigat &c. Quo, inquit Auguſtinus *eo cap.* 4., nihil manifeſtius dici poteſt; & tamen indoctus neſcio quis ultimam CAUSAE literam expunxit, unde error in omnes libros venit.

Quod autem præterea objicit Cl. Aſtenſis *laud. lib.* 1I. *cap.* 3. *pag.*44. nempe in vulgatis plures haberi diſtinctas leges, quæ in Florentinis ſunt Paragraphi præcedentis legis, ne illud quidem nos a propoſita ſententia dimovere poteſt: quippe & hoc ipſum vel negligentiæ librariorum, vel obſcuræ correctorum diligentiæ tribuendum videtur. Exemplum afferam ex L. *Cum Servus* 39. *ff. de Leg.* 1. cujus legis Inſcriptio in Florentinis hæc eſt: *Ulpianus libro viceſimo primo ad Sabinum*: in vulgatis *Paulus*: errore orto, quod & Paulus & Ulpianus ad Sabinum ſcripſerunt. Florentiæ principio ejus legis poſt ea verba: *& ita Julianus ſcribit*: hæc habentur: *nam & ſumtum an in hanc rem facere heres deberet, Africanus libro viceſimo epiſtolarum apud Julianum quærit, putatque* &c. In vulgatis legitur *nam & ſumtum in hanc rem facere heres debeat*: deinde ſequitur alia lex, cujus Inſcriptio eſt: *Idem*: & incipit lex *Africanus lib.* 20. *epiſtolarum apud Julianum quærit: putatque &c.*: In aliis incipit *apud Julianum*: Ea nomina Juriſconſultorum occaſionem præbuerunt librariis exiſtimandi, illinc aliam legem inci-

incipere, quæ eſſet *lex* 40. Ad hæc in eadem *l. Cum Servus* poſt illa verba: *me agentem liberationem conſequi*, Florentiæ Paragraphus incipit: *Idem Julianus ſcribit*: Sed in vulgatis τῷ *Idem* repetito facta eſt *Lex* 41. cujus Inſcriptio eſt: *Idem*: Lex autem incipit: *Idem Julianus*: atque adeo quæ una lex eſt in Etruſco Exemplari in plures ſſ. tributa, in vulgatis eadem in tres leges diviſa eſt: Quod quidem, aliudve ejuſmodi ut incuriam arguit librariorum, ita ſententiæ noſtræ nullo modo adverſatur. Ac profecto, quum omnes, quæ hactenus allatæ ſunt, cauſſæ, aliæve ſimiles efficere potuerint, ut ex iis exemplis, quæ primum a Florentino deducta fuere, librarii ſcriptores paulo deteriora proferrent, ex his alia ſubinde vitioſiora deſcriberentur, adeo ut quo longius per intermedia exempla derivati eſſent a Florentino Exemplari poſteriores libri, eo magis ab illo deflecterent, atque in pejus ruerent, non eſt, cur ex ea nominum, aliarumque lectionum varietate poſſit ſententia noſtra refelli.

CAPUT XVII.

Meliores, quæ in vulgatis Pandectis interdum habentur, lectiones minime refragantur ſententiæ, qua contenditur, omnia Pandectarum, quæ ſuperſunt, exempla ex Etruſco Exemplari eſſe deducta.

At vero in vulgatis Pandectis meliores, quam in Florentinis, plenioreſque lectio-

nes interdum reperiuntur. Negare id quidem non auſim: haud tamen idcirco, quam tueor, ſententiam labefactari poſſe crediderim. Etenim codices non ſemper ad veteris alicujus exemplaris fidem, verum ſæpe correctoris arbitratu emendabantur: Et alii ſane, qui licet Juriſprudentiæ, & Critices præſidiis deſtituti eſſent, multum tamen ſibi arrogabant, loca quædam temere depravarunt; alii vero majori doctrinæ copia inſtructi, & acuto in primis ac ſolerti præditi ingenio, quædam felicibus conjecturis reſtituiſſe videntur. Ipſa B. Petri Damiani ætate Juriſconſultos floruiſſe, qui non modo Juris facultate, ſed ceteris etiam bonis artibus præſtabant, ex illius epiſtolis collegit idem Aſtenſis *lib.* II. *cap.* 2. *pag.* 34. Quidni potuerint ipſi, aliique vel ante ea tempora iis non abſimiles Romani Juris periti emendationes quaſdam, aut ſupplementa in margine, ſuorum quiſque librorum, adſcribere, quæ poſtea communi plerumque conſenſu probata in ipſum Vulgarium Digeſtorum contextum irrepſerint? Idque ſane ante XII. ſæculum contigiſſe potuit; ſiquidem de reſtituto, ex Lotarii II. edicto, jure civili jampridem exploſa ſententia eſt, ac Pandectarum exempla Ravennæ ante eam ætatem deſcripta fuiſſe, pluribus conjecturis ad credendum quis merito poteſt adduci. Quare tametſi Donatus Aſtenſis *lib.* II. *cap.* 3. *pag.* 44. ut probet, ceteros, quos habemus,

mus, Pandectarum libros e Thuſco Exemplari minime prodiiſſe, tres Homeri verſus *Odyſſeæ lib.* IV. objiciat, qui in *l. Qui venenum* 236. *ff. de Verb. ſign.* leguntur in vulgatis, in Florentinis non extant, idemque haud immerito affirmet, ante ipſum Accurſium in ipſis vulgatis, aliiſque MSS. pleraque aliter ac in Florentinis libris deſcripta eſſe, propoſitum tamen aſſequi non videtur. Nihil enim impedimento eſt, quominus recte exiſtimemus, Homeri eximia poemata a nonnullis lecta fuiſſe, qui Ravennæ operam Juriſprudentiæ ſumma cum laude impendebant: Noverant enim, puto, planeque perſpexerant, Homerum non ſemel in Inſtitutionibus, & Pandectis laudatum eſſe, atque a Triboniano in ipſo Digeſtorum proœmio, ſive *Conſt. Omnem, in fine: patrem omnis* virtutis appellatum. In ea autem urbe degebant, in qua & Græci homines verſabantur, a quibus Græca diſcere potuerunt, ut veriſimile admodum ſit, ab iiſdem Juriſperitis in prioribus illis vulgarium Pandectarum exemplis, eos Homeri verſus adjectos fuiſſe. Nec mirum eſſe cuiquam debet, varias illas lectiones, quæ in vulgaribus Digeſtis habentur, & a Gloſſographis referuntur, Irnerio, Pileo, & Accurſio antiquiores fuiſſe, quum, ut ſuperius conjecimus, exortæ iis temporibus eſſent, quibus Romani Juris ſtudium in Ravennatibus ſcholis & foro maxime florebat.

Jam

Jam vero pleniorem, & accuratiorem in vulgatis, aliiſque libris, quam in Etruſcis lectionem objicit quoque Cl. Abrahamus Wielingius in laudata ſuperius Præfatione ad libros lectionum juris civilis, novumque ejus rei exemplum ſe afferre profitetur. Verba Proculi adducit ex *l. Non dubito* 7. *§*. 1. *in fin. ff. de Capt. & poſtl. rev.* quæ Florentiæ ita leguntur: *Et quemadmodum clientes noſtros intelligimus liberos eſſe etiamſi neque auctoritate, neque dignitate, neque viri boni nobis præſunt, ſic eos qui majeſtatem noſtram comiter conſervare debent, liberos eſſe intelligendum eſt*. Certe mendum ineſſe in iis verbis: *Neque viri boni nobis præſunt*, aperte dignoſcitur: Sed ita fere etiam Rogerius legiſſe videtur, ait enim apud Accurſium: *hoc tale eſt: licet clientes noſtri non præſint nobis, ideſt comparentur: nec ſubſint nobis, ut boni viri: nec per auctoritatem, vel dignitatem: tamen liberi ſunt: ſic &c.* ſubjicit deinde Accurſius, *ſed quidam habent cancellatum boni viri*. Gulielmus Budæus in annot. ad eam legem hæc ſcripſit: *Ego ſola conjectura adducor, ut ita locum legam: Etiamſi neque auctoritate, neque dignitate, neque jure omni nobis pares ſunt*. Lud. Charondas ex MS. Codice Stephani Auredani ad marginem *d. l.* 7. alias corruptum illum locum ita quoque repreſentat: *neque jure omni nobis pares ſunt*: Ita etiam legit Grotius *de jure B. ac P. lib.* 1. *cap.* 3. *§*. 21. *num.* 2. *in fine*. Enimvero ex hoc ipſo exemplo

plo deduci minime poſſe arbitror, ceteros Pandectarum, quos novimus, libros e Florentinis non dimanaſſe: Conſtat enim, Rogerii & Accurſii ætate in vulgatis fere ut in Florentinis ſcripta hæc fuiſſe. Præterea Accurſius Rogerii quidem interpretationem adducit, nec tamquam de ſpeciali quadam lectione loquitur, neque eam literam Piſanam vocat, ut alias interdum ſolet; monet tantummodo, in aliquibus codicibus cancellatum eſſe *boni viri*, ex quo patet, quoſdam in hac lectione etiam tunc hæſitaſſe. Et hactenus quidem hæc nihil obſtant quominus cenſeatur, vulgares libros e Florentinis eſſe deſcriptos; immo vero id magis comprobant, quoniam ubi erratum eſt in Florentino Exemplari, non levis fuit interpretum dubitatio, qui ita non dubitaſſent, ſi exemplum aliquod aliunde deſcriptum conſulere potuiſſent. Neque vero omnes homines hebeti adeo ingenio fuiſſe crediderim, ut nemo umquam barbaris quantumvis temporibus extare potuerit, qui ex ipſa Proculi ſententia poſt multas aliorum curas conjiceret, quomodo locum illum felicius emendare liceret: Neque prorſus inveriſimile ſit, ab ingenioſo quodam interprete in ſui codicis margine emendationem illam fuiſſe adſcriptam, quæ deinde in Codice Auredani aliiſve in legem ipſam irrepſerit. Ac valde mihi probanda videtur Ulrici Huberi ſententia exiſtimantis, aliorum librorum lectionem

ctionem Florentina meliorem aut felicem errorem eſſe, qui utique rariſſimus eſſe debet, aut docti viri conjecturam.

Ad rationem illam ex meliori vulgata lectione deductam pertinere videtur conſenſus vulgatæ lectionis cum Baſilicis in aliquot locis, in quibus Florentina lectio diſcrepat a vulgata. Verum neque id argumento eſſe poteſt, quo demonſtretur, vulgatos libros ab Etruſcis non eſſe profectos. Etenim quum Ravennæ Romana floreret Juriſprudentia, in ea ſcilicet urbe, quæ Græco parebat imperio, & in qua etiam Græci homines verſabantur, nonne fieri potuit, ut ex antiqua Thalelæi verſione quædam in vulgaribus libris emendarentur? Præterea nonne fieri potuit, ut Latinis, qui Græca neſciebant, idem in eodem Juris loco in mentem veniret, quod etiam Græci excogitaverant? Sic Græci quidam legem Falcidiam *ἀπὸ τοῦ φάλκους, ὃ δηλοῖ δρεπάνην* appellatam exiſtimarunt, ut eſt apud Harmenop. *in Promtuar. lib.* v. *tit.* 9. Veteres Gloſſæ verborum juris in V. *Φαλκίδιος* hæc habent: *καὶ ἡ λέξις Ῥωμαϊκὴ, ἀπὸ τοῦ φάλκους, ὃ δηλοῖ τὴν δρεπάνην*. Eadem quoque fuit Latinorum quorumdam inepta ſententia. Gloſſographus ad *l.* 1. *in princ. ff. ad L. Falcid. lit.* a. ſcripſit: *Alii dicunt eamdem* (ideſt Legem Falcidiam) *dici a Falce, quia reſecat, ut falx:* Item *ad princip. tit. Inſt. de L. Falcid. lit.* a: *Falcidia ideo ſic dicta, quia ut falx fenum, ſic hæc lex legata reſe-*

reſecat. Quod ergo hic Græci ſomniarunt, idem & Latini quidam commenti ſunt. Aliud libet afferre exemplum, in quo vera eſt Græcorum & Latinorum interpretatio: In *l. Ejus militis 34. in vulgatis 35. §. 2. ff. de Teſtam milit.* hæc extant: *nec tamen circa militem eadem adhibebitur diſtinctio*: Addunt Græci ἔτι ϛρατευόμενον, prorſus Gloſſa noſtra *lit. C. ideſt circa eum, qui adhuc militat*. Recte ait, Leunclavius *notatorum lib. II. num. 63. Th. jur. Tom. III. col. 1518.*: *ſæpe numero reperiuntur apud Græcos hujuſmodi Gloſſæ a noſtris ad verbum expreſſæ, quaſi ſi a Græcis petitæ fuerint*. Neque novum, vel ἀδύνατον eſt, eos, qui eumdem locum interpretantur, vel emendare ſtudent, in eamdem ſententiam convenire, etiamſi quod unus excogitaverit, id neſciat alter.

CAPUT XVIII.

Supplementa, quæ in vulgatis Digeſtis reperiuntur, interdum ſupervacanea eſſe oſtenditur.

QUæ igitur in vulgatis Pandectis alicubi ſupplementa leguntur, quæque pleniorem adeo in iis, quam in Florentinis lectionem oſtendunt, nil aliud eſſe videntur, quam gloſſemata quædam in vulgarem contextum recepta: eorum vero licet alia neceſſaria forte cenſeantur, quæ ſane ex Juriſprudentiæ principiis deduci potuerunt, alia tamen errorum plena, aut certe

certe ſupervacanea ſunt. Exemplum afferam ex *l. Lucius* 45. *ff. de Vulg. & Pupill. ſubſt.* ſpecies hæc eſt. L. Titius Titianum filium ſuum ex juſtis nuptiis procreatum, & Titium filium ſuum naturalem tantum, ambos impuberes, heredes inſtituit, eoſque invicem ſubſtituit. Mortuo patre Titianus impubes deceſſit, ſuperſtitibus matre, & fratre naturali. Quæſitum fuit, an Titiani hereditas ad fratrem ex cauſſa ſubſtitutionis pertinere deberet, an vero ad matrem ab inteſtato ex S. C. Tertulliano. Dubitandi ratio erat, quia Titianus, & Titius invicem ſubſtituti fuerant, & reciproca ſubſtitutio tum primum caſum, hoc eſt ſubſtitutionis vulgaris, tum ſecundum, hoc eſt Pupillaris complectitur, *l. Jam hoc jure* 4. *§.* 1. *ff. de Vulg. & Pupill.* Paulus tamen reſpondit, ſubſtitutionem ad ſecundum caſum non pertinere, ideoque matrem ab inteſtato admittendam eſſe: rationem addidit, quia in naturalis filii perſona duplex ſubſtitutio locum habere non poteſt. Nimirum pater filio ſuo tantum naturali potuit ſubſtituere per Vulgarem, non per Pupillarem, quum eum non haberet in poteſtate, *l.* 2. *in princ. ff. eod.* Reciproca autem ſubſtitutio eas tantummodo ſubſtitutiones complectitur, quæ poſſunt in utroque herede verificari, *d. l. Jam hoc jure* 4. *§.* 2. *l. Quamvis* 4. *C. de Impuber., & aliis ſubſt.* Incongruum namque viſum fuit, unum idemque verbum *ſubſtituo* in alterius perſona duplicem

cem vim habere, in alterius vero ſimplicem. En Pauli IC. verba *in laud. l. Lucius* 45. *Lucius Titius legitimum filium, & alterum naturalem, heredes inſtituit: eoſque invicem ſubſtituit. Titianus legitimus filius, quem pater anniculum reliquit, poſt patris mortem impubes deceſſit, ſuperſtite matre, & fratre naturali, quem etiam coheredem habebat: Quæro, an hereditas ejus ad Titium naturalem fratrem ex cauſſa ſubſtitutionis pertineat, an vero ad matrem: Reſpondi ad primum caſum non exiſtentium heredum ſubſtitutionem, de qua quæritur, pertinere, non ad ſequentem ſi quis eorum poſtea deceſſiſſet intra pubertatem* (unde patet utrumque teſtamenti tempore fuiſſe impuberem) *cum in naturalis filii perſona duplex ſubſtitutio locum habere non poterit, & ideo ad matrem legitimi filii hereditas ab inteſtato pertinet*. Hæc deinde in vulgatis addita ſunt: *aliter ſi ejuſdem ætatis liberi inſtituti, invicemque ſubſtituti fuiſſent: tunc enim altero defuncto intra pubertatem, ejus ſucceſſio non ad matrem, ſed ad ſubſtitutum ejus devolvitur*. Verum clauſula hæc abeſt a Florentinis Pandectis, quod etiam teſtatur Ant. Auguſtinus *Emend. lib.* III. *cap.* I. abeſt etiam a Baſilicis, eamque ſuppoſititiam Haloander exiſtimat. Profecto ea retinenda non eſt; ſuperioribus enim parum apte cohæret, quia quum *τὸ aliter* diverſam a ſuperiori ſpeciem polliceatur, eamdem tamen quæ ſequuntur verba conſtituunt; nihil quippe diverſum utraque ſpecies habet, ſi filios ejuſ-

ejuſdem eſſe ætatis in adjecta clauſula proponatur; quum & in ſuperiori ſpecie ex Pauli verbis conſtet, utrumque impuberem fuiſſe. Conſtituendum potius erat diſcrimen in poteſtate, non in ætate: ideo qui hæc adjecit, quæſtionem, & reſponſum Pauli minus percepiſſe videtur. Certe in prima ſpecie mater, in altera ſubſtitutus admittitur; non tamen ex ætate, quæ quidem pupillaris in utraque ſpecie proponitur, ſed ex poteſtate ſumenda differentia eſt. Cujacius quoque eam clauſulam retinendam non eſſe cenſuit *lib.* XVII. *Obſ. cap. 6. & in lib.* XII. *Reſp. Pauli ad d. l. Lucius, & in recit.ad tit. ff. de Vulg. & Pupill.ad l.*4. & quamvis contrarium propoſuerit *ad l. 9. & ult. C. de Inſt. & ſubſt.* (nempe ut annueret, concederetque quod non credebat, quemadmodum ait Oſius Aurelius *Diſpunct.* 38.) priorem tamen ſententiam deinde palam confirmavit *ad l.* 2. & 4. *C. de Imp. & al.ſubſt.*Quod ſi quis eamdem retinere clauſulam vellet, iis verbis: *aliter ſi ejuſdem ætatis*, addenda hæc eſſent cum Merillio *Variant. lib.* 1. *cap.* 38.: *ejuſdemque conditionis*, nempe ut ſignificaretur, filios inſtitutos, & invicem ſubſtitutos non modo impuberes eſſe, verum & legitimos, & ſub patria poteſtate conſtitutos, adeoque diverſa a ſuperiori, quam Paulus attulerat, ſpecies proponeretur. Immo vero quamvis hæc ad eam clauſulam adjiciantur, ipſam tamen ſupervacaneam eſſe, Cujacius

cius putaverat *ad l.2. & 4. C. de Imp. & al.ſubſt.* Etenim ſi ambo legitimi, ejuſdemque conditionis ſint, ſtultum videtur adnotare, altero mortuo impubere, fratrem jure ſubſtitutionis reciprocæ matri præferri, quia & jure inteſtati matrem excludit, quum ſit defuncti frater conſanguineus, *§. præferuntur 3.verſ. frater, Inſt. tit. de SC. Tertull.* Sed eſto, ſupervacanea prorſus non cenſeatur ea clauſula, quippe, ut Oſius *laud. Diſpunct.* 38. animadvertit, ad utilitatem filii pertinet, ut ex teſtamento heredes habeat *l.Julianus 42. alias l. Si pupillus ff. de Adq. vel om.her.* haud omnis tamen ſuſpicio τῦ ἐμβλήματος depellitur, quoniam ut ea retineatur, nova adjectione opus eſt, nempe hac, *ejuſdem conditionis*: quæ quidem adjectio nullius veteris codicis auctoritate innititur. Erraſſe ergo videntur qui ea verba: *aliter ſi &c.* a minus accurato interprete forte adſcripta, ex ora libri τῦ κειμένῳ ingeſſerunt.

Aliud non piget afferre exemplum, quo utitur Grandius *in not. ad Epiſt. de Pand. n. 29.* ut probet exempla, quæ extant, non omnia ex Florentino manaſſe: quum enim dixiſſet, pleraque vetuſta exemplaria in titulo de Regulis Jur. a veteribus Juriſconſultis juxta Piſanam literam correcta fuiſſe, quam conjecturam haud eſſe probabilem, ſuperius cap. IX. cenſebam; adjicit quoque: *Non tamen ideo prætermiſſa l.Si filius familias ex Paulo IC. veteribus libris inter* 18.

 & 19.

& 19. ejus tit. de Diverſ. reg. Jur. ant. inſerta (quæ in Florentinis Pandectis deeſt, adeoque inde reſcribi non potuit) ſed vel appendicis loco ſubjuncta, eidem ſuperiori legi 18. Quæ legata, vel juxta Bartoli numerationem, tamquam peculiari lege ordine 19. computata, ut lex Qui cum alio, evaderet 20. & ſic aliæ uno deinceps gradu promoverentur, ut omnino 212. leges is titulus complecteretur, cui tamen 211. in Etruſcis voluminibus deputantur. Hactenus doctiſſimus Vir: Sed hanc ipſam *l. Si filius familias* ſuperfluum eſſe ἐπίβλημα facile deprehenditur. Nam primo eam reſpuit ſervata in hoc titulo *de Reg. Jur.* Regularùm ſeries, ut ad eam monet Jac. Gothofredus: deinde neceſſe minime fuit, eam in hunc locum inſerere, quum alibi iiſdem verbis ipſa habeatur; patet enim, adſcriptam eſſe ex *l. Si filius familias, ff. de Verb. Obl.* propterea quod ejuſdem argumenti eſt cum iis, quæ habentur in fine ſuperioris *legis Quæ legata* 18. *ff. de Reg. Jur.* Sane, ut vel ipſe Accurſius monet ad *d. l. Quæ legata*, quidam eam *l. Si filius familias, eod. tit.* non habent; inde factum, ut in aliquibus libris ipſa partem ſuperioris legis 18. in aliquibus vero ſeparatum caput conſtituat. Plures quoque leges, quæ in Florentino Exemplari iis in locis, in quibus vulgo habentur, non extant, ſed ex aliis deſumtæ irrepſerunt, affert Ant. Auguſtinus *Emend. lib.* III. *cap.* I.

Quamobrem ad pleniores hujuſmodi in vulga-

vulgatis, quam in Etruſcis Pandectis lectiones omnino pertinet primus ille Joh. Clerici Aphoriſmus, *Art. Crit. Parte* III. *ſect.* 2. *cap.* 2. *n.* 2. *pag.* 325. *edit.* 5. *Interpolati libri indicium eſt, ſi ſit in veteribus codicibus ſine additamento quod in recentioribus invenietur*. Vetus quidem eſt Florentinus Codex, VI. vel VII. ſæculo exaratus, ut cap. V. dictum eſt: vulgares autem Pandectarum libri, ſi quid conjecturis aſſequuti ſumus, conſcripti poſtquam Exemplar illud Ravennam translatum fuit. Ex iis vero Mſs. Codicibus Pandectarum, quos ſupereſſe novimus, nullus ſupra ſæculum XII. aſcendere ex ipſa ſcripturæ forma deprehenſus eſt, quemadmodum Brencmannus teſtatur *l.* III. *cap.* 3. *in princ.*

CAPUT XIX.

Oppoſitioni reſpondetur ex eo ducta, quod Florentinum Exemplar Græca verba ſine Latina Interpretatione exhibeat, Vulgares autem Pandectæ Græca & Latina habeant, vel ſine Græcis Latina. De Interpretationis illius auctoribus non ſatis conſtat. Doctiſſimorum Virorum de eadem Interpretatione judicia. Nonnulli, qui in ea deprehenduntur, errores recenſentur.

VUlgares Pandectarum libros e Florentinis non eſſe deſcriptos, ex eo etiam deducere contendit Donatus Aſtenſis *lib.* II. *cap.* 3. *p.* 46. *& ſeqq.* quod in Florentinis quædam capita ſeu leges Græco dumtaxat ſermone efferuntur: in

Vulgaribus vero eadem Græce & Latine conſcriptæ ſunt, & earum aliqua, veluti *lex Semper* 5. *§. demonſtratur* 2. *ff. de Jure Immunit.* Latine tantum ſcripta in vulgaribus invenitur: Addit, non omnium, quæ in Latinum ſermonem translatæ ſunt, auctorem eſſe Bulgarum: eas, quæ ex Modeſtini libris Excuſationum habentur, Latine ab ipſo Modeſtino ſcriptas eſſe, idque ex eodem ſtylo, eademque puritate ſermonis, qua Modeſtinus cetera ſcripſit, comprobari: veteres Interpretes eumdem Juriſconſultum Græci Latinique contextus auctorem cenſuiſſe: ſi poſt annum 1137. Græca in Latinum translata eſſent, inſulſo & barbaro eorum temporum ſermone conſcripta haberentur, nec diſputaſſent Irnerii diſcipuli, an Modeſtinus primo Græca, deinde Latina ſcripſiſſet, ſed eum potius, qui tranſtulerat, indicaſſent, multoque etiam minus Græci Latinique contextus auctorem ipſum Modeſtinum arbitrati eſſent.

Hæc tradit in eruditiſſimo alioquin opere Aſtenſis, eademque fere habet Reverendiſſimus Grandius *in notis ad Epiſt. de Pandectis num.* 27. quorum alia vera quidem ſunt, ſed quod Clariſſimi Viri ſibi probandum ſuſceperant, minime efficiunt, alia vero ejuſmodi eſſe videntur, ut merito negari etiam poſſint. Ac primum quod Græca tantum verba ſine Latina Interpretatione in Florentinis Pandectarum libris reperiantur, id profecto non impedit, quominus

nus ex iis manare potuerint vulgata Digeſta, in quibus eadem vel Græca ſimul & Latina, vel Latina tantum habentur. Quum enim in prioribus exemplis ex Etruſco Exemplari ἀμέσως deductis, Græca tantum, ut in illo erant, deſcripta eſſent, quidni potuerit deinde ab interprete aliquo in eorum margine Latina Interpretatio adſcribi, quam deinde librarii in aliis exinde libris una cum Græcis verbis exaraverint, vel Græcis omiſſis, quæ ſupervacanea putabant, Latina ſolum deſcripſerint? Interdum enim librarii Græcas voces, quas legere non poterant, plane omittebant, aliquando relicto ſpatio, aliquando nullo: atque ut etiam Joh. Clericus teſtatur *Art. Crit. parte* III. *ſect.* I. *cap.* 14. *n.* 26. in omnibus pæne libris Latinis, quibus Græca admiſta ſunt, talia cernere licet. Græca vox λείψανα, quæ Florentiæ legitur *in l. Quid ergo*, *§. Si heres*, *ff. de Legat.* I. deerat in omnibus libris, quos Ant. Auguſtinus inſpexerat, ut idem ait *Emend. lib.* IV. *cap.* 16. *In l. Si cui lana in princ. ff. de Legat.* 3. deſunt in vulgatis hæc verba: *ſed* αὐτόφυες, quæ in Florentinis extant. Ita *lex ultima ff. ad S.C. Trebell.* in vulgatis deſtituitur Græca voce μονομερῶς, quæ legitur in Florentino Exemplari. In omnibus Codicibus impreſſis deſiderabatur Alciati ætate *lex* οἱ ἐπίτροποι 49. *ff. Locati*, ut ipſe tradit *Diſpunct. lib.* II. *cap.* 2. neque ulla erat ejus legis Latina interpretatio. Integra *lex* Αὐτο-

κράτωρ 25. *ff. de Appellat. & Relat.* in multis exemplaribus non habebatur: ſic enim Accurſius ad eam ſcripſit: *In multis libris deeſt hæc lex, quæ incipit Imperator Alexander &c. & nullius utilitatis, nec legenda eſt*. Ex quibus verbis deducitur, in aliquibus extitiſſe Latinam translationem, ſed adeo ineptam, ut nullam vel inutilem ſententiam contineret; quum alias valde utilis proculdubio lex ſit, eo quippe Alexandri Græco reſcripto conſtat, vetari ne per vim, aut contumeliam, aut manum militarem quis prohibeatur appellare, & confugere ad principem. Græca quoque verba ex reſcripto Pertinacis, quæ ſine interpretatione Latina leguntur Florentiæ *in l. Semper* 5. *§. demonſtratur* 2. *ff. de Jure Immunit.* quam Aſtenſis, & Grandius allegant, omiſerunt librarii in vulgatis, & quum ab iis ſpatium relictum forte eſſet, pro Græcis Latina deinde deſcripta ſunt.

Quis vero hujuſmodi translationum, quæ in vulgatis leguntur, auctor fuerit, ſub judice lis eſt. Bulgaro inſigni Piſano Juriſconſulto Latinam Interpretationem, quæ habetur *in l. ult. ff. Fin. reg.* adſcribit Accurſius, alii tamen in contraria ſententia ſunt. Cl. Grandius *in Epiſt. ad Averan. n.*18.: *Sed &*, inquit, *quarumdam Græco idiomate ſcriptarum legum Latina Interpretatio eidem aſſeritur: quamquam hoc immerito, quum Græcas literas ipſe ignoraret, ut Petrus Bayle animadvertit*. Burgundium Piſanum Judicem, nempe

nempe Juriſconſultum, earum interpretationum auctorem exiſtimarunt Odofredus *ad l.* 11. *ff. de Legib.* & Pancirolus *de Cl. Interpr. lib.* 1I. *cap.* 15. Hæc quoque a Laurentio Pignorio *Symbolar. Epiſtolicar. lib.*1. *epiſt.* 39.ſcripta ſunt: *Huic*, nempe Burgundio, *ſunt qui adſcribant verſiones, quæ in Pandectis Græce leguntur, licet Accurſius Bulgarum interpretem eſſe velit*. Ipſam Odofredi ſententiam non improbat Grandius *laud. epiſt. n.* 19. & Heineccius *Hiſt. Jur. Rom.* §. 419. Nonnulli vero Bandinum, ſeu Gandinum Piſanum Græca Pandectarum loca in Latinum tranſtuliſſe cenſuerunt, ut eſt apud Pancirol. *de Cl. Legum Interpr. lib.* 1I.*cap.*16. quem Bandinum anno 1218. obiiſſe tradit Cl. Grandius *in not. ad Epiſt. de Pand. num.* 28.

Quamvis autem Bulgarus earum Interpretationum auctor non fuerit,imo vero etiamſi ante annum 1135. quo Pandectarum Exemplar Piſas translatum fertur, conſcriptæ illæ ſint,nihilominus quemadmodum vulgata exempla Ravennæ deſcripta eſſe, vero ſit quam ſimillimum, ita etiam Græca, quæ in ipſo Exemplari extant, loca potuerunt Ravennæ in Latinum converti. Verum ſi ex ipſarum interpretationum ſtylo, ad quem provocat Altenſis, judicandum ſit, earum pleraſque rudi barbaroque ſæculo maxime convenire quiſquam facile exiſtimabit. Illud enim aperte conſtat, ipſarum auctores, quicumque tandem ii fue-

 rint,

rint, barbaro plerumque ſtylo ſcripſiſſe, eoſque interdum ſententias, quæ Græcis continentur verbis, non eſſe adſequutos. Politianus acerrimi vir ingenii, & Græci, Latinique ſermonis longe peritiſſimus *lib.* x *Epiſt.* 4. hæc ſcripſit: *Multa vero ſunt ibi*, hoc eſt in Florentino Exemplari, *leges Græcis edita verbis, quas aut omiſerunt juniores, aut in Latinum ſermonem* PESSIME *converterunt*; idemque Græcorum, quæ in Pandectis occurrunt, verſionem parabat, ut de ſe ipſe teſtatur *lib.*v. *epiſt. ult. in fine*. Gul. Budæus *in Annot. in Pand. ad l. penult. ff. de Pignorib.*: *Hic locus*, inquit, *Græce a Scævola ſcriptus, ab imperito quodam Interprete traductus eſt, quo modo permulta in Pandectis loca, quæ tamen poſthac intacta præteribo, ut admonitione nulla indigentia. Sic autem verti debuit &c.* Teſtem quoque locupletiſſimum appello Andream Alciatum, qui *Diſpunct. lib.*1I. *cap.* 17. de Interpretatione ejuſdem Epiſtolæ, quæ apud Scævolam extat *in laud. l. penult.* hæc habet: *In protritis exemplaribus non ſatis fideliter Græci hujus Epiſtolii ſenſus redditur: ut mittam barbaras voces inculcatas: quum nec certificationem, nec ſeneratum, nec ſuppoſitionem eo ſenſu priſci illi Juriſconſulti agnoſcant: ut indolendum ſit, quas Græcas voces illi ornatus cauſſa ſuis ſcriptis inſeruerant, eo temporum culpa decidiſſe, ut turpiſſima carcinomata perpolitis alioquin reſponſis induxerint*. Idem *cap. ſeq. ad l. final. ff. de Decret. ab Ord. faciend.*: *Quam-*

Quamvis, inquit, *in impreſſis codicibus interpretatio quædam Græcarum dictionum addita ſit, quæ longe nugacior eſt, & multo plura continet, quam Græcum illud comma ſignificet. Quod videlicet variæ expoſitiones, & recentiorum adnotatiunculæ, quæ ſuper contexta Juriſconſulti verba adjuncta fuerant, ex ſubſidiis in ipſam aciem tranſiere*. Ita etiam Lud. Vives *lib.* VII. *de cauſſ. corrupt. art.*: *Jam*, inquit, *leges permultæ ſunt Græce ſcriptæ, & prave in Latinum verſæ ab Interprete imperito. Idcirco & pleraque omnia verba ſimplicia Græca, quæ in Jure ſunt Civili relicta, confuſa ad nos venerunt, ac depravata*. Complura poſſem proferre exempla, quæ quantum in Vulgatis Digeſtis Latina verſio a ſententia græcis verbis expreſſa diſcrepet, facile oſtendunt, ſed unum & alterum dumtaxat juverit indicare. Occurrit vexatiſſima *lex ult. ff. Fin. regund.* in qua, ut cetera omittam, de quibus doctiſſimi Viri in diverſas abierunt ſententias, in vulgatis *δένδρα* antiquus interpres vertit *ligna*, quum nemo non videat reddendum eſſe *arbores*. Item verba hæc Lucii Titii, qui rerum ſuarum adminiſtrationem commiſerat fratris filio, Scævola refert, *in l. creditor 60. §. Lucius 4. ff. Mandati*: ἐπιτρέπω σοι περὶ πάντων ἐμῶν, ὡς θέλεις πραγματεύεσθαι, εἴτε πωλεῖν θέλεις, εἴτε ὑποτίθεσθαι, εἴτε ἀγοράζειν, εἴτε ὁτιοῦν πράττειν, ὡς κυρίῳ ὄντι τῶν ἐμῶν: quæ ſic in vulgatis Latine redduntur: *Concedo tibi de omnibus meis, ut vis, nego-*

negotiari, ſive vendere vis, ſive paciſci, ſive emere, ſive quodcumque operari, ut domino enti meorum. Perperam ὑποτίθεσθαι vertitur *paciſci*. Ὑποτίθεσθαι proprie eſt *oppignorare*, vel obligare pro eo, quod debetur, ſive quid traditur, ſive conveniat, ut ſine traditione obligatum ſit. Latini veteres *opponere* dixerunt: Latinitas media *ſupponere*; ideo putat Salmaſius *de Modo uſur. cap.* 12. *pag.* 500. Tribonianum ubicumque veteres Juriſconſulti dixerunt *oppoſita* bona, repoſuiſſe *ſuppoſita*, quoniam id ex Græciſmo illius temporis magis uſitatum, quum ὑποτιθέναι verterent *ſupponere*. Ex adverſo ὑποτίθεσθαι dicebatur creditor, cui res pignorata ſive oppoſita erat. Phrynichus in Ecloga dictionum Atticarum: ὑποτίθησι μὲν δανειζόμενος τὰ ἐνέχυρα, ὑποτίθεται δὲ ὁ λαμβάνων. Diſcrimen hujuſmodi minime ſervatum ab omnibus: nam in vetere onomaſtico habetur *Pignero* ὑποτίθεμαι: & Philoxeni gloſſæ habent ὑποτίθεται *fiduciat*, ὑποτιθέμενος *fiduciatus*. In ea *l.* 60. *§. Lucius* 4. ὑποτίθεσθαι ponitur pro ὑποτιθέναι *pignori obligare*, *opponere*, *ſupponere*. Veteris translationis errorem, in qua vertitur *paciſci*, recte agnoverunt Alciatus, qui *lib.* I V. *Diſpunct. cap.* 4. vertit *obligare*; Cujacius, qui *in l.* 1. *Reſponſ. Cervidii Scævolæ*, *ad eam l.* 60. *§. Lucius*, id interpretatur *pignori obligare*; Salmaſius *de Modo uſur. d. cap.* 12. *pag.* 502. vertendum eſſe ait *oppignerare*.

Inter-

Interdum vero adeo inepta viſa eſt alicujus loci interpretatio, ut nemo unus fortaſſe auſerit eam in contextum admittere: exemplo ſit Græcorum verborum, quæ extant in *l. ult. ff. de Oblig. & Act.* interpretatio, quam affert Accurſius, ſive alius Gloſſographus ibidem in *V. infraſcripta*: Quum enim ſubſcriptio quædam hiſce verbis concepta eſſet: *Λεύκιος Καλάνδιος ἐπέγνων καθὼς προγέγραπται. ἐςὶν λοιπὰ παρ' ἡμῖν ὀφειλόμενα τῷ δεῖνι τόσα*: quorum ſententia eſt: *Lucius Calandius agnovi, quemadmodum ſupraſcriptum eſt: reliqua ſunt, quæ a nobis debentur illi tot.* Interpretatio, quam habet Accurſius, hæc eſt: *Scias quod ego exigam a debitoribus Seii argentum, & mittam tibi ad facienda vaſa.* Quæ ſane quid cum laudata ſuperius ſubſcriptione commune habent? Merito proinde *εἰς τὸ κείμενον* recepta non ſunt, ſed Græca tantum verba in vulgatis retinentur.

Itaque ex allatis, aliiſve ſimilibus locis, in quibus vulgata Digeſta Græcorum verborum translationem habent, qua caret Florentinus Pandecta, probari poſſe negaverim, vulgatos libros ab eo non profluxiſſe, quum fieri potuerit, ut exemplis ab eo deductis verſiones hujuſmodi adjectæ ſint. Earum certe ſubleſta fides, ac perſpecta barbaries in cauſſa fuit, ut plerique Viri doctiſſimi nonnullas emendarent, vel ipſis repudiatis novas afferrent, ut præter Alciatum Antonius Auguſtinus *ad Modeſtin.lib.*

ſing.

ſing. Ægidius Menagius *in Amœnitat. Juris Civil.* aliique. Demum ὁ πάνυ Antonius Maria Salvinius præceptor meus Græca in Pandectis loca in Latinum tranſtulit, quam verſionem una cum Pandectarum cum Baſilicis comparatione Brencmanno tradidit, eodem Brencmanno teſte *lib.* IV. *cap.* 6. *pag.* 391. ubi & Cl. Bynkershoekii verba profert, quæ ad Salvinii laudem pertinent, veteremque translationem reprehendunt. Dolendum vero eſt maxime, eam præſtantiſſimi Viri translationem non adhuc publicam lucem inſepxiſſe: attamen ſpes eſt fore, ut Georgius Chriſtianus Gabaverus Juris Profeſſor Gotting. ad quem Brencmanni ſcripta perveniſſe ferunt, eam typis mandandam curet, in nova, quam ipſum parare audio, Pandectarum editione.

CAPUT XX.

Modeſtinum IC. non eſſe, ut putat Aſtenſis, auctorem ejus interpretationis, qua Libri Excuſationum in Latinum vertuntur. Errores quidam ejus interpretationis indicantur.

SEd ut ad ipſas & Donati Aſtenſis oppoſitiones revertamur, nulla ratione eidem aſſentiendum videtur, qui *lib.* II. *cap.* 3. *pag.* 47. quum de legibus tractet, quæ ex Modeſtini libris, Excuſationum in Pandectis habentur, non modo Græci contextus, verum & Latinæ interpretationis auctorem eumdem Juriſconſultum exiſtimat: ſic enim ait: *E poſto a fronte il teſto*

teſto Latino coll' altre opere dell' iſteſſo autore, ſi veggono ſcritte all' iſteſſo ſtile nella medeſima purità di lingua, che l' altre coſe di Modeſtino ſcritte ſi conoſcono; a guiſa che chiunque ſottilmente le guarda non può farne altro autore, che il medeſimo Modeſtino : Idemque *pag.* 49.: *E quando dir ſi voleſſe, che dopo il trovamento di queſte Pandette ſi foſſe dal Greco Piſano portato in Latino nelle volgate, ſi vedrebbe il Latino ſcritto in quella ſciapita e barbara lingua, che in que' tempi ſi ſcriveva, e non già in una così buona, come ciaſcuno il conoſce*. Plura quidem in Pandectis extant ab hoc non contemnendæ auctoritatis Juriſconſulto, ut eum vocat Gordianus *in l. Ad exhibendum* 5. *C. Ad exhib.* Latinis verbis eleganter admodum ſcripta, quamvis nonnumquam Græcis loquutionibus ipſe utatur, quemadmodum obſervat Merillius *lib.* III. *Obſ. cap.* 33. Interpretationem vero Legum, quæ ſunt ex Græcis ipſius libris Excuſationum deſumtæ, barbaram jure optimo dixit Ant. Auguſtinus *in lib. ſing. ad Modeſtin. in princ. & in fine*, auctoremque ipſius barbarum interpretem ſæpenumero appellavit *in eodem libro*, veluti *ad l.* 1. *ff. de Conf. tut. & ad l. Scire oportet*, *§. qui in legatione ff. de Tut. & cur. dat. ad l.* 2. *ff. Qui pet. tut. vel cur. ad l.* 2. *ff. Sed etſi quis*, *ff. de Excuſ.*. Quid? quod præter ipſam barbariem, quam iſthæc interpretatio plurimum redolet, multa ibidem ſunt loca, in quibus mentem Juriſconſulti non eſt aſſequutus

Inter-

Interpres? Itaque niſi Modeſtinum, qui Græce Excuſationum libros perſpicue, & eleganter ſcripſerat, qui in Latinis libris polito dicendi genere uſus eſt, adeo Græci Latinique ſermonis rudem, atque ignarum putemus, ùt quam Græcis verbis ſententiam expreſſerat, Latine reddere prorſus neſciret, negandum omnino erit, eumdem eſſe illius Interpretationis auctorem. Quamquam vero complura liceret in medium afferre exempla, ex quibus liquido conſtaret, barbarum illum Interpretem a ſententia Græce ſcripta longe aberraſſe, duo tantum proferam,quæ id luculentiſſime oſtendunt.

Primum eſt ex *l.2. §.1. ff. Qui pet. tut.* ubi quod Florentiæ legitur ὁσίας χάριν vetus Modeſtini interpres tranſtulerat *puritatis cauſſa*, Contio teſte *Diſput. lib.1. cap. 16.* Sed Ant. Auguſtinus in *lib. ſing. ad Modeſtin. ad l. 2. §. 1.* ait barbarum interpretatum eſſe *pietatis gratia*. Haloander legit *pravitatis*. Recte idem Auguſtinus vertit *defunctorie*, quod & probat Wielingius *Lect. Jur. Civ. l. 1. cap. 3.* Agit eo loco Modeſtinus de matre, quæ legitima filii hereditate privatur, ſi tutorem filio non petierit, vel, ſi quem petierit, ὁσίας χάριν petierit, ideſt *defunctorie*, ſeu *dicis cauſſa*; nempe ut petendi munere defungeretur, ſive quemadmodum vulgo loquimur, *pro forma*, atque ut affirmari poſſit eam petiiſſe; revera autem ille ejuſmodi ſit, ut ſe poſſit excuſare. Ulpianus Modeſtini

deſtini præceptor *in l. 2. §. non ſolum 32. ff. ad S. C. Tertyll.* : *Non ſolum autem quæ non petiit coercetur, ſed & quæ defunctorie petiit, ut reſcripto declaratur, vel privilegio munitum, vel oneratum tribus, puta, tutelis; ſed ita demum ſi data opera hoc fecit.* Ad reſcriptum idem reſpexiſſe Modeſtinus videtur in *ea l. 2. §. 1. ff. Qui pet. tut.* ubi perperam in vulgatis vertitur, *Sed etſi quem petierit, qui pravitatis gratia dimitti poterat.*

Alterum exemplum eſt *in l. Si duas 6. §. de Philoſophis 7.* in vulgatis *l. Sed & reprobari 7. in princ. ff. de Excuſat.* Refert in eo loco Modeſtinus D. Pii conſtitutionem, ubi poſtquam dictum eſt, Philoſophos, qui divitiis abundant, libenter præſtaturos auxilium patriæ, additur: εἰ δὲ ἀκριβολογοῖντο περὶ τῆς ὐσίας, αὐτόθεν ἤδη φανεροὶ γενήσονται μὴ φιλοσοφῦντες: Vetus Interpres: *Si autem proprie loquantur de ſubſtantia, jam inde manifeſti fient non philoſophantes*: quæ quam inepta ſint, nemo eſt qui non videat. Sane ἀκριβολογεῖσθαι eſt *accurate dicere, exacte diſceptare, exquiſite diſputare, & æſtimare*; at non ea ſignificatione id verbum uſurpatur in ea lege: ἀκριβὴς non ſolum de *accurato*, ſed etiam de *avaro*, & *ſordido* dicitur. Heſychius: μικρολόγος, ἀκριβὴς, φειδωλὸς, φειδολοφίλος. Ariſt. IV. *Ethic.* ἀκριβολογίαν ſumit pro nimis exacta ſumtuum ratione: ἡ γὰρ ἀκριβολογία μικροπρεπές: ita ἀκριβολογεῖσθαι etiam eſt exactam ſumtuum rationem ſubducere. Οὐσία

vero

vero eſſentiam quidem, & ſubſtantiam ſæpe ſignificat: ὐσίαν pro ſubſtantia,& materia ſumit Ulpianus *in l.In venditionibus 9.§.Ult.ff.de Contr. emt.*: *Inde quæritur,ſi in ipſo corpore non erratur,ſed in ſubſtantia error ſit: Marcellus ſcripſit libro ſexto Digeſtorum, emtionem eſſe & venditionem, quia in corpus conſenſum eſt, etſi in materia ſit erratum: ego in vino quidem conſentio, quia eadem prope ὐσία eſt, ſi modo vinum acuit: in ceteris autem nullam eſſe venditionem puto, quotiens in materia erratur.* Laertius in Zenone Cittieo ubi de Stoicorum placitis loquitur: τὸ μὲν ὖν πάσχον εἶναι τὴν ἄποιον ὐσίαν τὴν ὕλην, *quod igitur patitur, ſine qualitate eſſe ſubſtantiam materiam*. Verum quis ignorat, ὐσίαν deſignare etiam *opes, facultates, patrimonium*, ſive *ſubſtantiam*, ut Ulpianus loquitur in *l. Tutor 3. §. nunc videamus 5. ff. de Suſp. tut.*? Græci omnia bona, ſive immobilia, ſive mobilia ὐσίας nomine ſignificabant. Philoxeni Gloſſæ, ὐσία, *patrimonium, ſubſtantia, res familiaris, facultates*. Et alia ab Atticis dicebatur ἀφανὴς ὐσία, cujus appellatione pecuniam numeratam, mancipia, vaſa, aliamque ſupellectilem, omnes demum res mobiles intelligebant: alia dicebatur φανερὰ ὐσία, quo nomine res ſoli, prædia urbana & ruſtica continebantur: ὐσία ἔγγειος prædia urbana ac ruſtica ſignificat apud Lyſiam. Interdum vero ὐσίαν abſolute vocabant, quæ in rebus ſoli conſiſtebat: ita ὐσίας δίκη erat ſecunda actio, quæ inten-

intendebatur adverſus poſſeſſores agrorum, aut ædium: etenim prima actio erat de penſionibus ædium, vel de fructibus agrorum: ſecunda inſtituebatur, ut creditor in poſſeſſionem ædium agrorumque immitteretur, ut ex Harpocratione diſcimus. Tertia dicebatur ἐξούλης δίκη, quam inſtituebat qui judicio vicerat, ac per vim prohibebatur poſſeſſionem accipere, vel per vim dejiciebatur de poſſeſſione, in quam inductus erat: ἐξούλη Atticum nomen eſt, ἐξείλλειν namque dicebant *extrudere*, atque *expellere vi*, ut ait Libanius *in argumento Orat.* I. *Demoſth. adverſus Onetorem Undevi*. Solas autem res immobiles οὐσίας nomine interdum deſignari, ex ipſo etiam Demoſthene comprobatur, a quo *in Orat. adverſus Timotheum* dicitur οὐσία ἐφωρισμένη (ſic legendum cum Salmaſio *de Modo uſur. cap.* 12. *pag.* 508. non ut vulgo ἀφωρισμένη) ideſt res immobilis pro debito obligata, cui ſcilicet ὅροι impoſiti erant, ideſt columellæ, cippis, ſeu lapidibus terminalibus ſimiles, quæ in obligatis prædiis defigi, conſtituique apud Atticos ſolebant, & in quibus nomen creditoris, cui fundus aut domus obligata fuerat hypothecæ nomine, atque item ſumma debiti, & cauſſa inſcripta erat, de quibus Salmaſius *de Modo uſur. cap.* 15. *pag.* 636. *& ſeqq.* Sed hæc ἐν παρόδῳ dicta ſint; nunc ad Modeſtinum, a quo digreſſi ſumus, regrediamur. Igitur quæ Græce idem ſcripſit laudato loco,

ita vertenda ſunt cum Ant. Auguſtino. *Quod ſi ſtudioſe* (vel cum Ægidio Menagio *Amœnit. juris civil. cap.* 33.: avare:) *contendant de re familiari, jam inde oſtendent facile ſe non eſſe philoſophos*. Atque hæc interpretatio confirmari poteſt ex *l. In honoribus* 8. §. *Philoſophos* 4. *ff. de Vacat. & Excuſ. munerum*, *l. Profeſſio* 6. *C. de Munerib. patrimonior. l. Reddatur* 8. *C. de Profeſſorib. & Medic.* ubi elegantiſſimum illud habetur: *Turpe enim eſt, ut patriæ functiones ferre non poſſit, qui etiam fortunæ vim ſe ferre profitetur*.

Quoniam ergo & barbara eſt, & Græcæ linguæ imperitum hominem auctorem ſuum arguit vetus illa interpretatio, maneat profecto, eam non eſſe cum Aſtenſi Herennio Modeſtino Græce Latineque peritiſſimo adſcribendam. Quod autem Aſtenſis idem ait, Hugonem alioſque veteres Interpretes translationem illam Herennio tribuiſſe, id certe probare poteſt, ejus auctorem non eſſe Bulgarum, qui σύγχρονος erat Hugoni, neque Burgundium, qui eodem ac illi ſæculo duodecimo floruit. Verum nihil obſtat, quominus alius quiſpiam Bulgaro antiquior, forſan Ravennæ, Græca Modeſtini verba in Latinum tranſtulerit. Addit quoque Aſtenſis *eod. lib.* 1I. *cap.* 3. *pag.* 49. *Tanto più, che ſe l'uno aveſſe avuto dipendenza dall' altro teſto, ſi vedrebbero amendue o nel Greco, o nel nudo Latino*: quaſi vero numquam librarii in deſcribendis Latinis libris Græca iis admiſta verba

verba omittere, & Latinam dumtaxat verſionem in margine alicujus libri adjectam adſciſcere conſueverint. Sane ſi priora illa exempla ex etruſcis libris deſcripta adhuc extarent, in iis Græca Modeſtini verba ſine Latina interpretatione, puto, haberentur, aut hæc ad oram adſcripta eſſet: veriſimile enim videtur, Latinam verſionem in ſequentibus deinde exemplis, quæ ex primis illis propagata ſunt, receptam eſſe in contextum, atque, ut Alciatus ait, e ſubſidiis in aciem tranſiiſſe.

CAPUT XXI.

Cl. Donati Aſtenſis conjecturæ quædam expenduntur.

QUum vero in Pandectis Florentinis fragmenta ex Modeſtini libris Excuſationum, aliaque Græce ſcripta ſint, in vulgatis autem dumtaxat Latine, duo hæc Aſtenſis *lib.* II. *cap.* 4. *pag.* 89. deduci illinc poſſe arbitratur; primum nempe, Amalphitanos a Græcis celebres illos Pandectarum libros accepiſſe; alterum, duo Pandectarum Exemplaria fuiſſe a Juſtiniano edita, quorum altero Græcia cum reliquis Orientalis Imperii partibus uteretur, & in eo Græca Modeſtini verba deſcripta eſſe: altero, cujuſmodi vulgata Digeſta ſunt, regeretur Italia, ac ceteræ Occidentalis Imperii partes, atque in ipſo Latinum Modeſtini contextum exaratum eſſe; rationemque ſubjicit, quod

præter hanc unam, alia ejus varietatis cauſſa afferri non poteſt.

Verum & hoc loco a doctiſſimi viri ſententia diſcedendum videtur. Ad primum enim quod attinet, ex eo ſane, quod Florentinum, ut hodie appellari mos eſt, Exemplar Latina verſione careat, conſectarium illud non efficitur, Amalphitanos a Græcis illud accepiſſe. Quidni accipere potuerunt ab aliis, qui idem e Græcia multo antea in Italiam advexiſſent? Nam quicumque Græcum aliquem Codicem poſſidet, cui Latina verſio adjecta non ſit, illico eum a Græcis hunc accepiſſe affirmabimus? Neque magis urgere puto alteram ipſius conjecturam de duobus Pandectarum Exemplaribus a Juſtiniano diverſa ratione editis. Nam ſi ea mens Imperatori fuiſſet, Exemplar illud, quod Occidentis Imperio deſtinarat, ita deſcribendum curaſſet, ut non ſolum Herennii Modeſtini fragmentis, verum & ceteris quoque legibus, in quibus Græca ſcripta ſunt, Latina translatio aut ſubſtitueretur, aut adderetur: eam tamen pluribus in locis vulgata ipſa Digeſta non habent, veluti in *l. Fraus ff. de Legibus, l. Solet ff. de Off. Proconſ. l. Ex ea 29. §. Idem reſpondit, ff. de Teſtament. l. Teſtamento 60. ff. de Manum. teſtam. l. Procurator Seii in princ. ff. de Oblig. & act. &c.* Nec movet ratio ab Aſtenſi tradita his verbis: *per non poterſi un tal divario, ſalvo che a queſta cagione attribuire*. Quod enim

nim vulgata Digeſta contextu Græco pluribus in locis deſtituantur, ea longe veriſimilior afferri cauſſa poteſt, quam ſuperius innuimus, nempe quod librarii, ut quæ deſcribebant exempla Italis hominibus commodiorem uſum præſtarent, eademque adeo vænire facilius poſſent, Latinam translationem adjiciebant, ſi in antiquioribus exemplis e Florentino deductis adſcripta eſſet: quum vero partim celeritati ſtuderent, quo citius quæſtum facerent; partim Græca verba deſcribere, quæ plerumque in Italia negligebantur, ſupervacaneum putarent, ea prorſus omittebant, ubi præſertim, ut eſt in Modeſtini fragmentis, fines ſuos Græca longius proferrent. Ipſa quoque in primis acceſſit imperitia librariorum, qui non modo ſententiam Græcis verbis propoſitam non percipiebant, ſed ne ipſa quidem Græca elementa noverant: cujus rei teſtem locupletiſſimum appello Henricum Brencmannum, qui *in Hiſt. Pand. lib.* III. *cap.* 3. *pag.* 248. de MSS. Pandectarum Codicibus, quos inſpexerat, ſic loquitur: *Raro autem Græca adeſſe comperi, eaque prorſus imperfecta, hoc eſt, ſola Græcarum dictionum veſtigia, Latinis literis expreſſa. Videlicet cum Græca elementa in Tuſco exemplari magnam partem eadem ſint, quæ Latina, ſolas communes literas deſcripſerant: ex ceteris, quas non intelligebant, aut ductus informes effecerunt, aut in affines Latinas transformarunt.* Quare nil profe-

cto mirum eſſe cuiquam debet, ſi alii poſteriores librarii, qui ex hujuſmodi codicibus alios ſubinde libros deſcribebant, ſatius putarent, hæc ita ſcripta omittere, & pro iis Latinam potius, ſi alicubi adjecta reperiretur, translationem inſerere.

Quod hactenus expoſitum eſt, eo maxime pertinet, ut facile deprehendi poſſit, qualis & quanta eſſe debeat apud cultioris Juriſprudentiæ ſtudioſos, adeoque critices Artis peritos Florentini Exemplaris auctoritas. Etenim duo hæc ex iis, quæ dicta ſunt, colligi poſſe videntur: primo nempe, quum Imp. Juſtiniani, ſeu Triboniani prototypum non ſit, ſed ex alio apographo, aut forte ex pluribus, ex quibus menda quædam in hoc irrepſerunt, olim deſcriptum; non adeo ſemper & ubique fides huic præſtanda eſt, ut nulla ratio, auctoritas nulla a Florentina lectione dimovere nos poſſit, & ab ipſa ne latum quidem unguem, vel minimum jota, aut apicem unquam recedere liceat: ſecundo quoniam ex inſigni hoc MS. ceteri omnes, quos hucuſque ſupereſſe novimus, Digeſtorum libri profluxerunt, in pari cauſſa Florentina lectio eſt præferenda; ſi hæc defendi recte non poſſit, quod bene habet in aliis exemplis, id felici emendationi, atque, ut uno dicam verbo, εὐστοχίᾳ maxime tribuendum.

F I N I S.

DE SERVIS
MEDII ÆVI
IN FOROJULII
DISSERTATIO
JO: JOSEPH LIRUTI DE VILLAFREDDA

NATALIS F.

SOCII COLUMBARII FLORENTINI.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMÆ AC CELEBERRIMÆ

ACADEMIÆ SOCIORUM

COLUMBARIUM

FLORENTINÆ

JO. JOSEPH LIRUTI DE VILLAFREDDA.

C*Um ex literis Cl. Abbatis Binii hujus Ill̃mæ Academiæ Socii, & ex Patentibus, datis Florentiæ* XXX. *proxime elapſi menſis Auguſti, celebribuſque Doctiſſimi, & Clariſſimi Viri Antonii Franciſci Gorii profeſſoris publici & præpoſiti nomine, & manu ſignatis, certior eſſem factus, meum qualecumque nomen in Album veſtræ Celeberrimæ Societatis relatum fuiſſe; honoris non meriti, nec unquam ſperati magnitudine oppreſſus, quo me verterem neſciebam, ut grati animi mei ſenſus, & obſervantiæ meæ debita argumenta Inclytæ huic Academiæ palam facerem. Res enim, cui parem me non eſſe intelligebam, immo quam longe juxta ingenii vires ſentiebam, ea eſt, quæ non ſolum gratiæ honori tanto pares haberi poſſint, ſed quæ verbis, quantum honoris mihi ſit adjunctum, comprehendere poſſit. Sed qualeſcumque ſint ingenioli mei vires; potius indocti hominis notam, & ineruditi ſubire decrevi, quam ingrati. Hanc enimproculdubio ſilentio, quamvis*

vis rationabili , quamvis mihi convenienti , certo eram ſubiturus ; illam forte vel veſtra benignitate , vel honore ipſo manum dante evaſurum me fore auguror .

Hanc igitur Diſſertatiunculam , quam barbara Minerva de Servis , barbaro ævo in hac Fori Julii provincia vigentibus , præcipiti calamo conſarcinavi , Illuſtriſs. Nomini veſtro nuncupare decrevi ; Et ut hæc grati animi mei , & honoris , a Vobis in me humaniſſime , & magno animo conlati teſtis eſſet , ſimulque vadis , me non ſolum quam maximas vobis , Clariſſimoque Duci , & Anteſignano veſtro gratias habere, verum etiam , ſi quando vires ſuppetent , aut bonus eventus auxilium præſtet , relaturum . Memoremque me futurum , recipio , non Dignitatis tantum , qua me de vulgari hominum cœtu exemiſtis , & in Veſtrum , Doctiſſimorum ſcilicet Virorum , cooptaſtis ; ſed officiorum quoque & obligationum , quæ mihi locus tantus , & benignitas , humanitaſque veſtra impoſuit ; Atque ad ea adimplenda omni niſu, & totis animi viribus ſemper incumbam , ut aliqua ex parte ipſi honori , & Veſtræ de me opinioni ſatisfaciam . Et ut unus ex Sociis veſtris aliquando dignoſcar , & me veſtris devinctum officiis non omnino immerentem omnes exiſtiment .

I. *De*

I.
De Variis ſervorum ſpeciebus.

CUM aliud omnino animo agitarem, nec quidquam minus mente verſarer, amici, & docti viri fortuito impulſu ad ævi barbari Servorum nationem oculos convertere, & cogitationes, fuit neceſſe. Is a me de Servis, qui eo ævo hac noſtra Forojulienſi in provincia in uſu fuere, Diſſertationem flagitavit; non ut exinde aliquid ipſe notitiæ caperet, plurimum enim & in noſtris barbaræ antiquitatis, & in externis rebus verſatus eſt, & doctus; ſed ut a me id produceretur, quod de hac noſtræ hiſtoriæ parte ſentirem, quodque mihi forte fortuna ipſi ignotum, in noſtris chartis datum eſſet invenire. Ut ipſi ſtatim tali in petitione morem gererem, non una erat cauſa; Amico enim flagitanti, & rem honeſtam poſcenti impium, & barbarum recuſare, & negare viſum eſt; nec inconveniens, ut eodem tempore, quod lucem afferre poſſet rebus antiquis noſtris, & in Patriæ meæ illuſtrationem cedere poſſet, viro tali petente, identidem facerem. Sed cum manus in adverſaria mea injeciſſem, ut quæ propoſito apta eſſent, & convenirent, excerperem, & in opus jam conceptum dedolarem; animadverti, me operam ludere, & in hoc argumento quaſi penitus me actum agere. Relictis enim, & ommiſſis Servis, qui Romanorum ævo, pene numero infiniti, ipſis in omnibus quaſi officiis, & miniſteriis, etiam

pene

pene liberalibus, famulabantur; de quibus Pignorius, & alii, & ferme omnes Legum Romanarum interpretes affatim diſſeruere, cum aliis recentioribus; Quot Scriptores de ſervis medii ævi commentavere? Unus quorum inter tot poſt Cangium ſupereminet Muratorius vir ſummus, qui tum notis in Leges Langobardorum, & Ripuariorum, & Capitularia Francorum, & ad Chronica Caſſinenſe, Vulturnenſe, Farfenſe &c., tum Diſſertationibus ad id inſtitutis, omnem hujuſcemodi Servorum catervam, qui barbaris Italiam occupantibus minore numero ſerviebant, illuſtravit; & rem pene tenebris obrutam, in lucem protulit meridianam literatorum hominum. Ab ipſo namque docemur, Langobardos, & qui eos ſunt ſecuti, Italiæ invaſores, paucis fuiſſe ſervis contentos, ut modicis facultatibus, & frugali victu libentiſſimo animo vitam trahebant; Quorum pars officiis domeſticis, & familiæ deputata, *Miniſteriales*, a ſervitio, ſive miniſterio familiari præſtando, appellabantur. Hi bifariam ſaltem erant diviſi, ut ex Lege Rotharis II. Tit. XI. Lib. I., erant enim Miniſteriales primi, officiis, & miniſteriis honeſtioribus familiæ, & Domini addicti; & alii erant Miniſteriales ſecundi ordinis, qui vilioribus domus ſervitiis erant adſtricti. Hæc de his lex memorata: *Si quis ſervum miniſterialem probatum, ut ſupra, aut doctum domi occiderit, componat ſoldos* L.; *de alio vero ſervo miniſteriali, qui ſecundus ejus invenitur, & tantum nomen miniſteriale habet; ſi quis occiderit, componat ſoldos* XXV. Ex quo duplo majoris pretii fuiſſe miniſterialem primum, & honeſtiorem elicitur, ſi ſecundo viliori conferatur. In charta Præpoſituræ Capituli Civitatis noſtræ Forijulii, anno 1253. ſuppreſſæ, & extinctæ, editæ quoque a docto P. de Rubeis in ſuis Monumentis Eccleſiæ Aquilejenſis cap. LXXIV. col. 743. plura hujuſcemodi miniſterialium ſervorum familiarium viliora ſer-

ſervitia recenſentur; deputati enim erant ſinguli, *Ad miniſterium coquinæ, ad officium piſtoriæ, ad officium ſcutellarum, ad officium oſtiariæ, ad officium olerum coquinæ, ad officium coclearium*; ut ibi memoratur. Sed laudatus ille Pater, neſcio qua ratione ductus, hæc officia, ſive miniſteria Feudatariis miniſterialibus adſcribit, eos viliſſimis iſtis ſervitiis omnino inquinans; cum plurimum nobilitatis ſemper feudis majoribus inſit, minoribus vero numquam vilitas, & ſervitii talis humilitas conveniat. Verum ad id intelligendum de ſupramemoratis in documento officiis documentum ipſum repugnat; illis enim miniſterialibus ſubjunguntur: *Reſidentes in Manſis, & poſſeſſionibus*, qui veriſimiliter ſervi erant *Manentes, vel Coloni*, vel *de Maſnata*, ipſis manſis & poſſeſſionibus inhærentes. Partem vero alteram ſervorum barbari noſtri ad agros excolendos dimittebant, & ad pecuariam exercendam.

Hi multifariam dividebantur; tum ratione ſervitii, quod erat vel infimum, vel medium, vel, ut ita dicam, honeſtius; tum ratione perſonæ, quæ vinculo ſervitutis arctiori ſtringebatur, vel non parum remiſſo gaudebat. In hiſce ultimis erant *Adſcriptitii*, qui & *Homologi*, *Ruſtici*, *Coloni*, & alii; qui nullam aliam ſervitutis notam habebant, niſi quod agris locatis affixi ſine Domini licentia inde migrare non poterant; eamdemque fortunam fuiſſe *Pertinentium*, & *Caſatorum*, qui Caſis ruſticis erant impoſiti, eſt in comperto; qui aliquando vaſſallorum conditionem induebant, Feudis, forte minoribus, a vaſſis dominicis honorati; cum onere tamen, & debito militiam exercendi, vel pro dominis ſuis, vel ſub comite, cujus diſtrictuales, vel pagenſes erant, ut ex capitulari Caroli M. Baluzianæ editionis pag. 495. & ex eo Muratorius Diſſ. XI. Tom. I. Antiq. medii ævi. Melioris, quam hi, conditionis erant *Aldii*, *Aldiones*, *Aldionarii*, qui iidem

dem

dem plane erant cum Fiſcalinis, vel Lidis, ſeu Litis in Francia, ut ex Lege noſtri Rachis regis Langob. lib. III. Tit.XVIII. pag 219. editionis Venetæ 1537. *Aldiones, vel Aldianæ ea lege vivant in Italia in ſervitute Dominorum ſuorum, qua Fiſcalini, vel Lidi vivunt in Francia*. Erant enim libertatem manumiſſione adepti, & liberti appellari poterant; ſed domino, vel potius patrono erant adhuc devincti quarumdam operarum, vel miniſteriorum præſtatione, quæ ipſis ex conditione, vel pacto, manumiſſioni adjecto, imponebatur, vel ad tempus, vel in perpetuum, donec ſcilicet & ab hoc onere liberarentur, & Amond eſſent facti, ut in legibus Langobardorum, quas memorabimus. *Fiſcalini* vero, qui, more a Francis accepto, erant quoque in uſu in Italia, ita audiebant; eo quod ad Fiſcum Principis, vel Regis pertinebant, & regalibus ſervitiis erant deputati; Hi, attenta Domini dignitate, melioris erant fortunæ; quia etiam ad voluntatem Principis Domini Palatinis officiis honorabantur. Non inferioris ſtatus crederem, fuiſſe ſervos *Colinos*; conjunguntur enim ſub una quaſi ſpecie & recenſione a rege Luitprando,& a Carolo M.in leg.V.& VI.Tit.XXXI. Lib. II. cum Fiſcalinis, & Aldiis: *Si quis cum ſervo, aut Aldione, aut cum pertinente alieno de qualicumque re convenerit &c. ut nec Colinus, nec Fiſcalinus poſſit alicubi foras miſſos traditionem facere*. *Cerarios* itidem & *Chartularios*, & *Tabellarios* ſervos non vilioris fuiſſe ſtatus, ac Aldios, videtur ex Cangio in Gloſſario; eos enim aſſerit libertini ſtatus ex charta tabularii S.Remigii, ſed Eccleſiæ, vel alteri Domino ſub certa annua penſione obligatos ad præſtandum ceram, & alia pro manſo ingenuili, illis dato, vel locato; & Carolus quidem M. trinas has ſervorum ſpecies conjungens ſub una recenſione in leg. I. Tit. V. Lib. III. eos ejuſdem ſtatus & conditionis eſſe, innuere videtur: *De Cerariis, & Ta-*

& Tabulariis, & Chartulariis, ſicut longo tempore fuit conſuetudo, ita obſervetur. Et in lege ſequenti ita ſanxit: *Stetit nobis de omnibus Libellariis, ut nullus Comes, nec juniores eorum amplius diſtringant, nec inquietent; niſi ſicut a longo tempore fuit conſuetudo*: Scilicet non domini, vel patroni arbitrio operas, vel præſtationes adimpleant; ſed eas tantum, quæ in manumiſſione, pacto convento, reſervata fuere. Ex iis tamen ſervis tolerabiliori ſervitutis ſpecie, ut mihi videtur, gravabantur Chartularii, qui iidem cum Tabulariis; iſti vero erant, qui Charta tantum, ſine aliqua alia formula, vel cærimonia, quadam libertate donabantur; & nihilominus Domino in pluribus erant obnoxii, & præſertim cum ſine heredibus, ex ipſis deſcendentibus, ab hoc ſæculo decederent, dominus illorum hæreditatis poſſeſſionem ingrediebatur. Nihil enim amplius eis in charta libertatis concedebat dominus, aut ſub certa pœna ſpondebat; niſi quod ab eis, vel ejus deſcendentibus nihil exinde juberet, vel pro ſervitio, & nomine ſervitutis peteret. Horum ſervorum in noſtris Forojulienſibus chartis exemplum adeſt in notis Bonihomi, vel Bonihominis Notarii Glemonæ, a me deſcriptum in meis Apographis numero 866. quod profero.

Suuarzuttus q. D. Henrici de Buja libertatem Andreæ Manzi concedit ei promittendo, quod nihil petet ab ipſo nomine ſervitutis. Anno 1288.

„ Anno Domini MCCLXXXVIII. ind. I. die V.
„ intrante Julio. Pñs Dñis Bernardo Decano Ci-
„ vitaten. Camoreto de Oſopio. Gwilgelmo de Ve-
„ zono. Jacobo Baſadone de Glemona. & Raynerio
„ de Staulis. Wolurado de Mayrale. Hanzone filio D.
„ Jacobi de Regonia. Altenerio de Flagonea. Henrico
„ D. Moſale de eodem loco. & al. Suuarzuttus
filius

„ filius q. D. Henrici de Buja pro ſe & pro domo ſua
„ dimiſit omne jus atque rationem, quod vel quam
„ habebat, vel habere ſperabat in Andrea filio Do-
„ minici dicti Manzi & in ſuis heredibus. Scilicet O-
„ dorlicum & Petrum, & de omnibus ab eis deſcen-
„ dentibus de non ulterius petendo in ſervitio alico
„ nomine ſervitutis &c. Et hoc ſub pena c. Marcha-
„ rum denariorum. Medietas cujus pene veniet D. Pa-
„ thē, qui pro tempore fuerit, alia medietas cui inju-
„ ria fiet. Pena quoque ſoluta vel non. Tamen di-
„ cta firma &c.

„ Actum in Oratorio Celle S. Jacobi de Glemona.

Hominem Denarialem ſub hac eadem ſervorum ſpecie Cangius recenſet; ita dictus, quia juxta legem Salicam excuſſo de manu Denario liber evaſerit. Hujus autem nihilominus erat aliquo modo obnoxia, nec omnino libera conditio, nam hereditatem, quæ patrono dabatur, in ſua generatione non habebat, antequam uſque in tertiam generationem perveniſſet; quod etiam de Chartulario ſupramemorato, qui per chartam tantum erat manumiſſus, obtinuit. Et hæc de hiſce ſervis, qui honeſtiori conditione, ratione perſonæ, & officii, erant præditi, ſint delibata.

Nunc aliam ſervorum ſpeciem inviſamus itidem curſim, quæ medium, & infimum ſervitutis jugum patiebatur. Inter hujuſcemodi ſervos, vere ſervos, recenſendos exiſtimo *Beneficiarios*, ita appellatos, quia prædiis Beneficiariis, ſive Feudalibus erant affixi, & in iis glebæ ſerviebant; Nec a prædiis plerumque abſtrahebantur, non in venditionibus ipſorum, aut permutationibus, nec aliis contractibus, ſed fere ſemper conjunctim, & ſimul cum prædio tradebantur, vel Beneficiario Feudi, vel Emptori. Quibus tamen, ut & omnibus pene aliis ſervis ejus ævi, ſub certa penſione annua concedebatur fundus, cæteris utilitatibus ipſis relictis;

liſtis; ex quibus bene adminiſtratis peculium, horum ſervorum proprium, conflabatur, & patrimonium; quod primi honeſtiores ſervi ſine domini, vel patroni licentia, nec in parte, nec in toto alienare poterant; multo vero minus iſti, qui ſeveriori vinculo ſervitutis adſtricti, toti a voluntate dominorum penitus pendebant in omnibus. *Dedititii* erant ſervi quondam libertate donati; ſed quia delicta gravia, & ſcelera contra dominos commiſerant, denuo in ſervitutem priſtinam fuerant revocati.

Maſſarius ſervus ita appellabatur, propterea quod Maſſæ, ſeu prædio erat impoſitus a domino, dataque illi cura totius Villæ, ſeu Maſſæ; Cum autem omnibus aliis ruſticanis, & vilioribus ſervulis a Domino eſſet ſuperimpoſitus, agmen ipſe ſervorum ſub ſe conſtitutorum ducat; ſervos nempe *Bubulcos*, *Pecorarios*, *Caprarios*, *Armentarios*, *Caballarios*, *Porcarios*, & hujuſcemodi, quorum ſervitia ex ipſis eorum vocabulis plane innoteſcunt; & eorum notitia hinc inde ex Langobardorum legibus colligitur. Hi infimi generis homines tamen bifariam cenſebantur; erat enim in illorum unaquaque ſpecie *Magiſter & Diſcipulus*; ut Rotharis rex eos diſtinguit in legibus VI. & VII. Tit. X. lib. I. An vero de iſtis diſcipulis intelligendus Theſaurus noſter Aquil.? Videant alii. Hæc ſunt ipſius verba pag. 31. *Pelegrinus ol. Henrici de Pizole de Aquilegia recognovit habere ab eccleſia Aquilegen. unum Manſum &c. ac Dominium ſeu judicium ſuper diſcipulos de Brazan &c.* jure Feudi Miniſterii &c. Proprium autem Maſſarii peculium erant boves, caballi, & bruta cetera, quæ peculii vocabulo comprehenduntur; deque his, etiam ſine licentia, Maſſarius ſervus diſponebat, ea concedendo præſertim ad ſocietatem, & quandoque etiam ea alienando; ſemper tamen in Maſſæ ſuæ utilitatem, & lucrum, cui præerat; ut ſancivit Rotharis

 lege

lege III. Tit. XXXII. Lib. I. hiſce verbis: *Servus Maſſarius licentiam babeat de peculio ſuo, ideſt bovem, vaccam, caballum; ſimiliter de minutis peculiis, in ſocio dare, & in ſocio recipere, vendere autem non, niſi pro utilitate caſæ ipſius, quatenus caſæ præſit, ut non depereat.*

Ceterum quamvis ſupramemòratas ſervorum ſpecies disjunxerim, eas ad certas, vel melioris, vel inferioris conditionis claſſes tribuendo; nihilominus tamen una, aut altera ſpecies ad primam, vel ſecundam claſſem adſcribi quandoque poſſe, nullus dubito; tunc cum ſervi illi in primo ſuo ſtatu vere ſervili conſiderentur, vel cum ſublevati a primo ſtrictiori jugo, immunitatibus quibuſdam, & libertatibus, a dominis conceſſis, fruerentur. Quamvis enim aliquando illis a dominis ſeveriores obligationes tollerentur; vel ut eos tali beneficio demeritos fideliores redderent, vel quia eorum præſtitum ſervitium id promerebatur; nihilominus ipſis jugum ſervitutis collo immorabatur, quamvis levius, & honeſtius, & eodem vòcabulo, puta Pertinentium, Manentium, Maſſariorum &c. appellabantur; quod ſemel ipſis impoſitum nomen nunquam, niſi cum plena, & integra libertate, deponebant.

Nec hic me omnia barbari ævi ſervorum genera recenſere voluiſſe quiſquam credat; ſcio, me majorem partem conſulto ommiſiſſe, ne, ut præfatus ſum, actum agerem; vel quia, quamvis varia cognomina audirent, ad eaſdem tamen ſpecies referri poſſe aliquando, videbantur. Præcipua tantum delibavi, & ea curſim; non enim de ſervis eccleſiaſticis, & piis locis contributis, qui ſuis denominationibus, etiam præter memoratas, diſcernebantur, verbum protuli, & alios etiam tranſmiſi; fontes enim demonſtravi, unde omnium pene notitia peti poteſt, ſcriptores, qui de his, vel ex propoſito, ut Muratorius, vel incidenter cum leges ejus ævi, & hi-

& hiſtorias, & chronica notis illuſtrarent, ut Baluzius, Abbas a Nuce, ipſe vir ſummus Muratorius, & alii plures fecerunt. Binas tamen, quas an ſervis, vel liberis ſint tribuendæ nunc non decerno, non ommiſi, nec præteritas volo; de quibus ſermo erit inferius; *Hermannorum, vel Arimannorum*, & illorum *de Maſnata, vel Maxinata*, ſeu *Macinata*; de quibus inter ſervos tum Muratorius, tum alii diſſeruerunt, non tamen eos inter ſervilis conditionis homines connumerando.

II.

Omnes ſervorum ſpecies in Forojulio in uſu fuiſſe.

Interim aliqua proferam documenta, quibus certos nos reddamus (quamvis, ut mihi videtur, nulli dubium eſſe poteſt) memoratorum ſervorum catervis ævo barbaro etiam noſtros Forojulienſes uſos fuiſſe; tam in familiaribus, & domeſticis ſervitiis, & famulatibus, quam in agrorum cultura, & pecuaria exercenda. Binas in primis chartas proferam; primam, quam Cl. Vir Abbas Binius deſcripſit ex autographis manu Jacobi Nibiſii Notarii, exiſtentibus in Tabulario Eccleſiæ Majoris Glemonæ, cui Archipresbyter digniſſime præeſt, quique hujus qualiſcumque & fortuito impetu ſine delectu effuſæ ſcriptionis meæ Auctor fuit, jure amicitiæ humaniſſime importunus; Alteram in Pergamena originalem ſervo Tom. XVIII. Manuſcriptorum meorum pag. 237.

Walangina de Glemona cum conſenſu Mengenardi filii, manumittit Vidam famulam ſuam, conditione adjecta, ut ſerviat &c. Anno 1271.

„ Anno Domini MCCLXXI. Ind. XIIII. Die XV. exe-
„ unte Februario. Pñs Wargendo Maſena Calci-
„ fice. Stephano dicto Sbrizio. Megenardo Calcifice.
„ Hermanno Dñe Leucardis. & Laterino Porta-
„ tore &c. de Glemona. & al.
„ Dignam remunerationem &c. *Walangina de Glemona*

 volun-

„ voluntate & conſenſu Mengenardi ejus filii præſen-
„ tis de pura, & propria conſcientia ejus. *Pro reme-*
„ *dio animæ ſuæ* .... *& parentum ſuorum* per
„ ſe &c. abſolvit. & dimiſit *Vidam famulam ſuam*. &
„ omnes heredes ab ipſa amodo deſcendentes &c. Ma-
„ numittenſque eidem Vide .... omne jus pa-
„ tronatus. omniaque bona mobilia & immobilia que
„ habet. & que habere ſperat. Dum tamen quod *ipſa*
„ *Vida ſervire teneatur* dictæ Walangine. quamdiu
„ ipſa Walangina in hoc ſeculo vixerit. Que Wa-
„ langina *reſignavit*. ſeu renunciavit ipſam Vidam.
„ & omnes heredes ejus ex ipſa amodo deſcendentes.
„ *Eccleſiæ Aquilegienſi vel D. Pathe*. dicto Stephano
„ Sbrizio teſte recipiente a prefata Walangina datam
„ & refutationem de dicta Vida &c. loco nomine & vi-
„ ce Eccleſie memorate. Quem Stephanum Sbrizium
„ ipſa Walangina conſtituit &c. ſuum nuncium. Sin-
„ dicum. & ſpecialem procuratorem ad refutandam
„ ipſam Vidam &c. dicte Eccleſie vel D. Pathe. Hoc
„ tamen pacto & tenore. quod *nullus Patharum. A-*
„ *quilegen*. poſſint eam &c. *infeudare. vendere. donare*.
„ obligare, nec aliquo modo, vel pacto aut tempore
„ alienare ab Eccleſia ſupradicta. ſed ſemper in do-
„ minio, & poteſtate dicte Eccleſie permanere. Et in
„ hunc modum prefata Walangina per ſe &c. promi-
„ ſit eidem Vide &c. ſub *pena Centum Marcharum puri*
„ *auri* &c. medietatem dicte pene D. Pathe. &c. &
„ reliquam medietatem. cui lis movebitur ſolvere te-
„ neatur. Penaque ſoluta &c. Actum Glem. ſub ſolio
„ dicte Walangine.

Ut brevitati conſulam, diſquiſitioni non immorabor, quæ fuerit, & qualis Walangina hæc; nobilem enim hac in provincia ſtatim prodit, eam ſervos poſſediſſe. Quamvis alias ſciam, nobilis, & antiquæ Clemonenſis Familiæ eam fuiſſe, immo nomen eidem Familiæ ipſam dediſ-

dediſſe, quæ *Walanginæ* audiebat ſæculo XIII. & *del Savio* exinde ſæculo XIIII., tunc cum circa medium ejus ſæculi ab Imperatore Carolo IV. titulo comitum Palatinorum decorata fuit, & inter cetera jure creandi Notarios, & legitimandi ſpurios; quam dignitatem paucis tunc, ſed primoribus noſtrorum, conceſſit Carolus. Ex hac igitur charta diſcimus, Walanginam, Famulam, ſive ſervam ſuam Vidam ſamiliarem, ſeu miniſterialem, ad ſtatum & conditionem Aldiæ, vel Aldianæ extuliſſe; abſoluta enim ea a vinculo, & jugo ſervitutis, deſignatoque & dato ei nuncio, qui eam offerat, & exhibeat Eccleſiæ Aquilejenſi; qui præcipuus erat mos libertatis conferendæ, & frequens noſtratium conſuetudo; ut iterum videbimus; ipſam tamen adhuc ad vitam ſuam in ejus famulatu expreſſe retinet, & ſervitio.

Domini Franciſcus & Johannes de Pinzano manumittunt Claram eorum ſervitricem, pacto ſancito, quamvis ipſa Clara poſt manumiſſionem ſervierit in domo ipſorum Dominorum, nihil detrahatur libertati conceſſæ. Anno 1332.

„ In Nomine Domini Amen. Anno ejuſdem Do-
„ mini MCCCXXXII. Ind. XIII. die XV. intrante Novem-
„ bri. In præſentia D. Adalgerii dicti Pinzanutti de
„ Pinzano. Nicolai filii ol. D. Creſeduli militis dicti
„ loci. Petri ejus fratris. Henrici Dñe Caſtelane
„ dicti loci. Johannis del Clere ipſius loci. Viduſii ejus
„ fratris teſtium &c.

„ Nobiles viri Franciſcus de Penzano, & Johan-
„ nes ejus filius conſiderantes &c. pro ſe &c. *amore*
„ *Dei* & Beatiſ. Virginis Marie, & *pro remedio* &c.
„ ſponte, ac pure mere & irrevocabilis *donationis* no-
„ mine &c. non valentes ipſam donationem ulla inju-
„ ria ingratitudine contrarietate ſive cauſa revocare,
„ per ſe &c. abſolverunt, manumiſerunt, & *liberave-*

,, *runt Claram* dictam Claruſſam filiam Pinzanutti qi
,, filiam Antonii de Pinzano, *ſuam ſervitricem*, ab eo-
,, rum ſervitio & vinculo ſervitutis quo erat eis perpe-
,, tuo alligata, & ipſam perpetuo abſolverunt, *donan-*
,, *tes* ipſam Claram &c. & omnia ejus bona &c. *Eccle-*
,, *ſie Majori* S. Marie de Aquilegia dantes, & aſſi-
,, gnantes per ſe &c. ipſam Claram &c. cum omnibus
,, ejus bonis &c. in manum Johannis del Clere teſtis
,, ſupradicti ipſam recipientis vice & nomine Eccleſie
,, ſupradicte, ipſumque conſtituens ſuum procurato-
,, rem, qui ipſam Claram dare refutare conducere &
,, *aſſignare debeat Altari* Eccleſie prelibate &c. & eos
,, abſolutos reddentes, & dimittentes ex nunc prout
,, ex tunc ab omni *jugo*, *bonere*, *nebula*, *vinculo*, *&*
,, *macula ſervitutis*, & omni jure, & actione, quibus
,, ipſa Clara eiſdem Dominis Franciſco & Johannino de
,, Pinzano &c. tenebatur &c. Ita tamen quod *ſi dicta*
,, *Clara &c. ſteterit ſeu habitaverit cum ipſis Domin. &c.*
,, *aut ſuper eorum bonis &c. vel modo aliquo eis ſervi-*
,, *verit, nihilominus ſit & eſſe debeat Eccleſie memora-*
,, *te*. Ita quod &c. valeat & poſſit d. Clara &c. age-
,, re &c. teſtari &c. quomodo quilibet *homo* vel *femina*
,, *S. Aquilegien. Eccleſie* pred. quovis modo dicere
,, poteſt, & facere. Ita tamen quod *nullus Patha-*
,, *rium* &c. ipſam Claram &c. valeat *vendere*, tradere,
,, *donare*, *inveſtire*, alienare, *infeudare*, vel modo a-
,, liquo a dicta Eccleſia, vel *Domo Aquilegen.* ſeparare;
,, neq. per eos, vel eorum aliquem aggravari poſſit,
,, vel angariari, pluſquam aliquis homo, vel femina
,, Eccleſie antedicte. Promittentes &c. ſub pena *Decem*
,, *Marcharum auri puri*, medietas quarum &c.

,, Actum in burgo Pinzani ante bajarzium dicto-
,, rum Dnorũm.

,, Ego Tomas q. Tebaldi de Tebaldis de Vene-
ciis A. impli Not. &c.

Hinc

Hinc quoque elicimus, & noſcimus alteram Aldiam; cujus ſtatus, & conditio cum ab ipſius jam libera voluntate pendeat, eam fuiſſe Aldiam voluntariam, & ſpontaneam, non pacto in manumiſſione adjecto obligatam, affirmabimus; de qua nullibi, quod memini, mentionem factam vidi a laudatis ſcriptoribus. Si enim ipſa, vel ejus heredes ſponte voluerint habitare in domo, & ſervire Dominis ſuis, ſive patronis; qui Domini quoque erant Caſtri Pinzani, & eodem ſeculo defecerunt; erat ipſa cum ejus heredibus ex miniſteriali ſerva familiari, Aldia ſpontanea; ſecus vero ſi a domo Dominorum ſuorum recederet in ſuam, ſervitium illorum deſerens, erat fœmina plena libertate donata; quia Eccleſiæ Aquilejenſi oblata erat, & donata. Gravioris, ut mihi videtur, conditionis fuere Aldii, manumiſſi, quos exhibet charta ſubſequens, quam authenticam lego tom. XXXIII. meorum MSS. pag. vel n. 175.

Cardinalis Pileus Comes de Prata omnes ſuos ſervos manumittit, donans eis mobilia illorum, immobilia vero teneant pro Habitantia in Prata cum onere ei ſerviendi. Anno 1382.

„ MCCCLXXXII. Ind. II. Die vero IIII. men-
„ ſis Septembris. Tempore Sm̄i D. Urbani Pa-
„ pe VI. *Prate in Palatio* in camera magna ſuperiori
„ prope Salam magnam. Pn̄s Egr. & Potenti Milite
„ D. Johanne q. D. Nicoluſſi Comitis de Prata, Nob.
„ Rizardo nato Nob. & Potentis D. Guecellini Comi-
„ tis de Camino, Deſiderato q. & Guarnerii de Par-
„ tiſtagno, Petroque D. Zanini Not. de Prata, ac
„ aliis &c. Rm̄us in Xſto Pater & *D. D. Pi-*
„ *leus* miſerat. Divina tit. S. Praxedis S. R. E.
„ Presbyter Cardinalis, digniſs. filius & heres u-
„ niverſalis Egr. ac potentis viri q. D. Biachini Mili-
„ tis & Comitis de Prata pro ſe &c. *intuitu Dei* &c.
„ omnibus modis, & viis quibus melius ſcivit, & po-

 „ tuit,

„ tuit, *Manumiſit omnes ſervos ſuos* quoſcumq. tam
„ mares, quam feminas exiſtentes in Prata, quam e-
„ jus Comitatu, & extra, cum omnibus eorum mobi-
„ libus. *Immobilia* vero voluit quod ipſi habeant, &
„ teneant *pro Habitantia*, & pro dicta Habitantia te-
„ neantur *facere ſervitia*, ſecundum quod idem Pileus
„ Cardinalis duxerit ordinandum &c. Et teneantur
„ dare in ſcriptis omnia ipſorum bona immobilia dicto
„ Domino P. Cardinali. Item voluit, quod omnes
„ ſervi ſui extra Pratam, tempore hujus contractus
„ exiſtentes, teneantur in termino ſex menſium pro-
„ xime futurorum *venire ad ſtandum & habitandum*
„ *in Prata*, ſaltem per. XI. annos &c. & in caſu, quo
„ intra terminum dictum non veniant ad reſidendum in
„ Prata, ſicut ſuperius dictum, vult ex nunc, quod
„ ſint in eadem *ſervitute ligati*, & damnatione, ſicut
„ primitus erant. Excepto Anceluto &c. Et omnibus
„ debeo facere inſtã &c.

„ Et ego Jacobus q. Meinardi de Scluſa Aquile-
„ gen. Dioceſis pub. Apoſtolica, & Imperiali
„ A. Not. &c.

Quot ſervuos, cum omnes manumiſerit Pileus, ipſe habuerit, ignoro; ſed magnam catervam, immo exercitum ex illis conflare potuiſſe mihi perſuadeo; vir enim illuſtris & dives Biachinus Eques, & Comes Pratæ, affinitate conjunctus cum Caminenſibus, qui ſæpe, ut in noſtris hiſtoriis, pari animo & viribus cum Patriarc. bellum geſſerant, erat illi pater, qui ipſum Pileum unicum ejus filium ex aſſe heredem inſtituit. Cum autem omnes manumiſerit, certe ex omni ſervorum genere, tam gravioris, quam levioris ſervitutis, tam miniſterialium, quam villis, & prediis addictorum fuiſſe, credere conveniens, ac veriſimile eſt. Non eſt autem omnino obvium; quod eos liberando ipſis omnia illorum mobilia donaverit, ſed immobilia ipſis tantum ad Habitan-

bitantiam, ad Feudum ſcilicet Habitantiæ; conceſſerit, reſervato nempe ſibi directo dominio; & ea conditione, & pacto, quod in loco Pratæ degere, & habitare deberent, quamvis extra Pratam uſque dum commorati fuiſſent. Et hoc, ut præſto eſſent, & parati ad ipſi Pileo Cardinali ſerviendum; qui ſibi ſervitium, ut puto, Miniſteriale, & honeſtius (cum habitantiæ Feudo eos aliquo modo honeſtaverit) ſibi in manumiſſione reſervaverat, & ipſis, quamvis liberatis, impoſuerat ſub pœna in ſervitutem priſtinam recidendi. Cæterum non inſolens, quod iſti liberti, ſive Aldii, quadam ſervitute adhuc gravati, Feuda poſſiderent; cum puri, & vere ſervi, & de Maſnata Feuda quoque cum peculio, & proprio haberent quandoque ut nos certiores facit Theſaurus noſter Aquilejenſis his verbis p. 129. MCCLVII. *Candidottus de Glemona dedit, & refutavit in manibus D. Patriarc. Gregorii Milicium filium Mercardi Sdentati de Glemona ſuum Hominem de Maſnata, & ejus heredes cum eorum peculio, Feudo, & proprio*. Bina hinc profero documenta, in quibus Pacta de ſervis communibus inter nobiles Forojulienſes decernuntur, caſu quo eſſent cum ſuis peculiis dividendi; in quibus præterea quædam non obvia notatu digna deprehenduntur.

Charta pactorum de ſervis communibus dividendis inter D. Franciſcum de Brazaco ſuperiori, & D. Aynzonem de Faganea. Anno 1279.

„ MCCLXXIX. Ind. VII. die VIIII. intrante menſe julii.
„ Præſentibus Dominis Leonardo & Henrico fratribus
„ de Brazaco ſuperiori. Teſinotto de eodem loco. I-
„ rico Dñe Gisle de Orlungo. Raynerio qui fuit
„ de Culugna. Pertoldo precone de Utino teſtibus &c.
„ Domini Franciſcus filius quondam D. Arnoldi
„ de Brazaco ſuperiori ex parte. & *Aynzo de Faganea*
„ fil. q. D. *Aſquini de Fontebono* ex altera tale in-
„ ter ſe pactum, & concordiam fecerunt de heredibus

Pa-

„ *Pacotti* de Brazaco filii q. Moraſcii *hominis* di. D. „ Franciſci, & *Jacomine* uxoris ejus *femine*, di. D. „ Aynzonis, quod heredes eorum omnes tam maſcu- „ li, quam femine, quos nunc habent, & deinceps „ eos ſimul habere contingerit, ipſorum Dominorum „ Franciſci & Aynzonis eſſe debeant *communes* & *per* „ *medium*, quos inter ſe partiri valeant, cum ambo „ vel eorum unus voluerit, & poſtulaverit. Ita ta- „ men quod totum *proprium*, & *Feudum*, quod Pa- „ cottus ad præſens nunc habet a pred. D. Franciſ- „ co, eſſe debeat heredum devenientium in parte ipſi „ D. Franciſco. Et bona omnia, que ipſa Jacomina ha- „ buiſſet & cunduxiſſet in domo ipſius Pacotti mariti „ ſui, eſſe debeant heredum devenientium in parte pre- „ dicto D. Aynzoni. Et quod ipſe D. Franciſcus pro- „ prio & feudo remanente in heredes ſibi devenientes „ in partem, dare, & ſolvere teneatur & debeat here- „ dibus provenientibus in parte D. Aynzoni tres Mar- „ chas denariorum Aquilegen. infra unum annum „ prox. venturum, poſtquam pars inter eos de dictis „ heredibus facta fuerit. Mobile vero totum, quod „ pred. jugales Pacottus, & Jacomina ad pſis nunc „ habent, & deinceps eos habere contigerit, divida- „ tur &c. *Feudum* vero, *proprium*, & *livellum*, quod „ deinceps lucrati fuerint, dividatur per medium here- „ dibus ſupradictis. Ita tamen quod quicquid D. Fran- „ ciſcus ex nunc dederit predictis Pacotto & Jacomine „ eſſe debeat ſibi in parte devenientium, & e conver- „ ſo. Que omnia ſuperius nominata predi. Domini „ Franciſcus & Aynzo cum obligatione &c. promiſe- „ runt rata & firma habere &c. *ſub pena* xx. *Marcha-* „ *rum denariorum Monete Aquilegen. &c.*

„ Actum ſuper Caſtrum S. Margarete de Gro- „ vans, ante Canipam heredum q. Muzonis de „ Bolpis de Martignaco.

Et ego

„ Et ego Dominicus dictus Glemonus de Utino
„ impli A. Not. &c.

D. Franciſcus q. D. Arnoldi de Brazaco ſuperiori, & D. Aynzo de Faganea q. D. Aſquini de Fontebono nobiles Feudatarii Forojulienſes, quorum deſcendentes nulli nunc adſunt, hominem ſervum unius cum ſerva alterius in matrimonio copulaverant; & exinde pepigerant, cum aliquis eorum deſcendentes ex eis, & bona per ipſos aquiſita dividere voluiſſet, quod æquis portionibus omnia dividerentur. Excepto tamen Feudo, quod domini illius, qui id conceſſerit, remanere deberet. Cujuſcemodi fuerit Feudum, de quo hic habetur mentio, quodque etiam ſervis concedi poterat, & ipſos illud adipiſci, & ſibi comparare, nulla fit mentio in inſtrumento; ſed id fuiſſe Habitantiæ, veriſimile eſt; non enim Feudum tale quicquam ſecum poſſidentibus nobilitatis afferebat, cum de minoribus fuiſſet; & proinde ejus capaces ſervi eſſe poterant; perſuaſum namque mihi eſt, nullam cum nobilitate ſocietatem ignobilem ſervitutem inire poſſe. Alteram chartam pactorum de ſervis communibus profero, alio quoque titulo digna, ut lucem videat.

D. Federicus de Cavoriaco dotat Franciſcam ſuam ſervitricem, copulandam matrimonio Radio ſervitori D. Matthæi de Brazaco ſuperiori, & pacta inter eos de dividendo deſcendentibus, & bonis dictorum jugalium. Anno. 1342.

„ Anno Domini MCCCXLII. Ind. x. Die XI. in-
„ trante Februario. Pns. nobb. Viris & Dnis. D. Ni-
„ colao q. D. Henrici. D. Conrado q. D. Franciſci
„ ambobus de Brazaco ſuperiori, & Conrado filio
„ D. Nicolai de Brazaco inferiori. Franciſco q. Miſſe de
„ Villalta, & Chunzilino filio D. Artuichi de Brazaco
„ ſuperiori teſtibus &c.

„ Nob. vir D. Federicus natus q. nob. D. Lo-
doyci

„ doyci de Cavoriaco per ſe & D. Rambaldum ejus fra-
„ trem, ut dicebat, ac eorum heredes promiſit & ſte-
„ tit dare *Radio ſervitori* D. Mathei de Brazaco ſupe-
„ riori, & *Franciſce ſervitrici* ipſius D. Federici ac e-
„ jus fratris jugalibus. Renunt. per ſe &c. *vice & no-*
„ *mine Dotis* prefate Domine Franciſce v. Marchas A-
„ quilegen. denarior. mon. nove, de quibus quidem
„ quinq. Marchis d. Radius ibidem fuit contentus &
„ confeſſus ab ipſo D. Federico habuiſſe & recepiſſe
„ tres Marchas denar. anted. Dotis, reliquas vero duas
„ ſtetit dare ſæpe noiātus D. Federicus ipſis jugalibus
„ ad beneplacitum Nicolai Radii patris ipſius Radii,
„ & Odorici ſervitoris ipſius D. Federici. Pactis au-
„ tem infrtis habitis & firmatis inter Dnos Federicum
„ ſepenoiātum, & D. Matheum ſuperius expreſſum.
„ videlicet quod ſi contingeret d. Franciſa premori ipſo
„ Radio ſuo marito ſine communi herede habito inter
„ eos, quod per ipſum Radium & ejus heredes ipſi
„ D. Federico, & ſuis heredibus *d. Dos reſtituatur*,
„ *reſervata tamen in ſe dimidia Marcha de d. Dote* &c.
„ Et e converſo ſi contingeret ipſum Radium premori
„ ipſa Franciſca ſua uxore ſuperſtite ſine communi he-
„ rede, quod ipſa Franciſca *rehabeat ſuas dotes inte-*
„ *gre, & de bonis ſui mariti tres Fortones &c.* Item ſi
„ contingeret d. jugales aliquos procreare proles ac
„ filios, qui *debeant dividi ipſi & eorum bona univerſa*
„ inter ipſos D. Federicum, & D. Mattheum &c. e-
„ quali portione. Ubi autem, omnibus actis preno-
„ minatis, Radius ſtetit dare d. Franciſce ſue uxori
„ *nomine Morgengap & Diſmontature* duas Marchas A-
„ quilegen. monete nove ad ſuum beneplacitum *ad fa-*
„ *ciendam omnimodam ſuam voluntatem*. Pro quibus
„ omnibus firmiter attendendis atque complendis,
„ precibus ipſius Radii, & pro ipſo D. Mattheus ejus
„ Dominus in ſolidum extitit fidejuſſor, & precibus
ipſius

„ ipſius Franciſce & D. Federici Franciſcus teſtis ſu-
„ pradiƈtus in ſolidum fidejuſſor extitit.
„ Aƈtum in Bajarzio Nicolai Radii de Agar. Plebis s.
„ margarete de Grovagns.

Ex notis Mathiæ d. Miſſii q. Zotti de s. Maria de Sclaunich Not &c.

Federicus hic Dominus Caſtri Cavoriaci, cujus gens adhuc in plures Familias diſtinƈta viget, & , ut fertur, ab antiquis Dominis Ragoneæ genus ducens una cum aliis nobilibus Familiis, etiam alia denominatione notis, aliis Caſtris in Forojulio dominatur, Franciſcam ſuam ſervitricem, ideſt famulam, & ſervam, quæ Cangio ſunt ſynonima, quinque Marchis monetæ novæ Aquilejenſis dotat, ut eam Radio ſervitori, ideſt famulo, vel ſervo Domini Brazachi laudati copulet. Paucas admodum chartas vidi, quibus a dominis dotentur ſervæ, & pauciores multo, quibus dotentur iiſdem paƈtis & conditionibus, quibus libere, & nobilis conditionis fœminæ honorantur. In hac namque noſtra charta non dotatur ſolum, ſed dos datur ſub conditione reſtitutionis, non adveniente prole; & inſuper diƈtæ ſervæ conſtituuntur Marchæ binæ ejuſdem monetæ pro ſuis Morgengap, ideſt dono matutino, & Diſmontaturis *ad faciendam de his omnimodam voluntatem*. Hinc ſi diƈti ſervi jugales prolem habuerint, & deſcendentes, & bona aquiſiverint mobilia, & immobilia, quod omnia ſecundum conſuetudinem hujus provinciæ æquis portionibus ad eorum beneplacitum inter diƈtos Dominos Federicum, & Matthæum dividantur. Cum ſervæ hæ nubendæ a Dominis dotarentur, e contra ipſæ eædem pro dote conſtituebantur nobilibus fœminis, matrimonio ſui ſimilibus copulandis, ut ex charta, quam ſubjungo.

Datio in dotem unius ſervæ, faƈta a D. Detemaro de Vendolio Gniſutæ ſorori ſuæ nuptæ Johanni q. Jacobi Valuti de Glemona. anno 1337.

„ Anno

„ Anno Domini MCCCXXXVII. Ind. V Die V. in-
„ trante Martio Pñs Gabriele de Glemona . Ni-
„ colao d. Piſatino q. Piliorni . Federico q. Valconi .
„ Tomato q. Zanni Juſti . Nicolao q. Bernardi Capiſ-
„ ſe . Jacobo filio Marchi de Racholana. Petro filio La
„ zaruti de Carvacho , & aliis .

„ Cum olim D. Arnoldus de Vendoyo *dotaſſet*
„ filiam ſuam Dominam Gniſutam in matrimoniali co-
„ pula cum Johanne q. Jacobi Valuti . & ipſis jugali-
„ bus inter cetera *promiſiſſet unum Mancipium* , ut pa-
„ tet publico inſtrumento confecto manu Stephani Val-
„ coni Not. de Glemona ſub anno Domini MCCCXXIII.
„ Ind. VI. Die X. intrante Aprili . viſo & lecto a me
„ Not. ſubſcripto . Ibique vero D. Detemarus filius
„ d. olim D. Arnoldi de Vendoyo *aſſignavit* dictis Jo-
„ hanni & Domine Gniſute jugalibus *in Mancipium*
„ *& ſervitutem Foſcham* filiam Henrici de Vendoyo
„ preſentem . Quæ ibidem promiſit *manuali fide &c.*
„ *legaliter ſervire dictis jugalibus &c.* & dicti jugales
„ acceptaverunt dictam Foſcham in ſuam Manci-
„ pium &c. Actum Glemone in domo Johannis q. Ja-
„ cobi Valuti .

Ex Notis Franciſci Sibelli Not. Glemonæ &c.

Gens nobilis Dominorum Caſtri de Vendolio jam a ſæculis defecit ; ex hac Arnoldus promiſerat pro dote unum Mancipium (quod idem eſt cum ſervo , vel ſerva) Gniſutæ filiæ ſuæ , & Johanni Valuti nobili Glemonenſi ejus marito ; quod defuncto Arnoldo dictis jugalibus præſtitit Detemarus ejus filius , dando eis , & tradendo in *Mancipium & ſervitutem* Fuſcam filiam Henrici de Vendolio . Notandum , quod Fuſca in traditione dictis jugalibus de eis legaliter ſerviendo ſacramentum præſtitit.

Sed quæ modum , & morem nobilium Forojulienſium videtur excedere , adeſt mihi charta in Apogr. n. 893.

n. 893. anni 1323. 9. Novembris, quæ, ultra dotem in pecunia numeratam, Adalprettum Dominum Cucaneæ Sophiam filiam ſuam cum ſeptem Famulis, ſive ſervis dotaviſſe, nuptam Johanni Domino Villaltæ, memorat.

Plura alia documenta adſunt, quæ docent, noſtros antiquos Forojulienſes ſervis omnis generis, & ſpeciei uſos fuiſſe ævo barbaro, ſicuti nationes, & regiones aliæ Europæ noſtræ; quæ conſulto omittuntur, ne in immenſum creſcat farrago; ad id enim probandum, & certum reddendum, pro confirmatione aſſumpti argumenti; (non quod id neceſſarium exiſtimaverim) leges noſtræ municipales affatim ſufficere videntur, quæ de ſervis ab antiquo ſancitæ ſunt,& uſque ad ſæculum XVI.in hac regione fuere in viridi obſervantia, ut exinde ſubtus animadvertemus. Has ex ſtatuto noſtro Forojulienſi Mſ. deſcripſi, quod indubitate videtur eſſe caracteris ſæculi XIV. & ſervatur a D. Agricola Patritio Utinenſi, mihi non vulgari amicitia conjuncto. In laudato Mſ. adeſt fol. XXXIX. Rubrica: *De ſententiis diffinitivis proferendis coram Domino Vicario Patriarchali* in temporalibus; ſub qua cum decernatur, Vicarium ipſum ſuper re quacumque ſententias definitivas proferre poſſe, ad nullius judicis Tribunal amplius provocandas; excipiuntur tamen ſententiæ *Territorii, Libertatis, Servitutis, & Feudorum*: de quibus ultimum proferre ſupremum judicium ſit Domini Patriarchæ tantum, non ejus Vicarii; Et in hæc verba lex ſcribitur: *Conſtituimus, & ordinamus. Quod omnes cauſe poſſint ventilari coram perſona Vicarii D. Patriarche, cujuſcumque conditionis exiſtant; ac etiam poſſint finiri & terminari, & diffinitive ſententie ferri per Aſtantes coram perſona ipſius Vicarii: Exceptis tantum ſententiis diffinitivis Territorii, Libertatis, Servitutis, & Feudorum. Que ſententie dumtaxat coram perſona D. Patriarche proferantur; niſi ſen-*

ſententias diffinitivas ſuper cauſa Territorii proferendas idem D. Patriarcha propter aliquas occupationes, quas ipſe ſcribat, vel aſſerat ſe habere, Vicario ſuo ſpecialiter & expreſſe duxerit committendas. Sed ut cauſas Territorii poterat Patriarcha vicario ſuo demandare definiendas, ita etiam eas, quæ circa alicujus ſervitutem vel libertatem verſabantur, aliquando Vicario ipſi a Patriarcha delegabantur. Ecce tibi documentum, quo id probe teſtatum redditur; & inſuper quibus ſolemnitatibus liberata per ſententiam judicis a ſervitutis imputatione libera proclamabatur.

Sententia Jacobi Maroeli Vicarii Patriarchalis & Iſtriæ Marchionis pro libertate Margaritæ Muyans cum filiis, Oblatio ipſorum Altari Aquilejenſi, & Proclamatio eorum libertatis facta per ſuos Parochos. Anno 1352.

„ MCCCLII. Ind. V. Die XII. menſis Julii. Pñs „ presbytero Jacobo Flor, & Anzelotto de Cuchanea Manſionario Aquil. & presbro. Gabriele &c. & „ aliis.

„ Joſephus *Nuncius juratus Patriarchalis Curie* „ D. Nicolai Patriarche Aquilegen *ex commiſſione* & „ mandato D. Jacobi Maroeli de Luca Vicarii dicti „ D. Patriarche. *Optulit ſuper Altare* S. Marie Aquil. „ *Margaretam* dictam Muyans, & Indrinam, & Ca- „ therinam ſorores filias dicte Margarete, & Johan- „ nem eorum fratrem, ut moris eſt &c. ut ſupra &c. „ Qui ibidem exibuit una literam infraſcripti tenoris.

„ Jacobus Maroelus de Luca Domini noſtri D. „ Patriarche Vicarius Generalis Iſtrie Marchio &c. „ ſalutem.

„ Cum Margareta dicta Muyans de S. Margareta „ cum tribus filiis, & totidem filiabus coram nobis, „ *ut Commiſſario* in hac parte Domini Noſtri D. Pa- „ triarche Aquilegen. per *laudum & ſententiam fuerint abſo-*

„ *abſoluti ab omni Nebula ſervitutis* & liberati,ad quam
„ Fradonus de Brazaco eoſdem intendebat provocare.
„ Honeſtatem veſtram requirimus, quatenus predi-
„ ctam Margaretam, filios, atque filias *in Eccleſiis ve-*
„ *ſtris*, cum ibi aderit populi multitudo, *liberos*, ut
„ ceteros Aquilegen. Eccleſiæ denuncietis & pro-
„ paletis.

„ Datum Utini die x. Junii Ind. v.

„ Honeſtis viris presbyteris Henrico, & Franciſ-
„ co Capelanis Plebis S. Margarete, & eorum
„ cuilibet.

„ Et Ego Jacobus q. Ture Not &c.

Margarita hæc cum filiis a Domino quodam de Brazaco in jus trahebatur, ut illius ſerva; per ſententiam libera pronunciatur a Vicario Patriarchali, huic cauſæ delegato Commiſſario; unde ad exequendam ſententiam per Nuncium Patriarchalis Curiæ ducitur ipſa Aquilejam, & de more, hac in provincia ſemper obſervato, ab eo offertur altari S. Mariæ Aquilejenſis. Hinc Vicarius Patriarchalis jubet, ut in Eccleſia S. Margaritæ, quondam Caſtri Gruagn, Parœcia illius, in ſolemnitate, cum populi multitudo aderit, a ſuis Parochis proclametur libera, ut ceteri homines Aquilejenſis Eccleſiæ.

Aliam antiqui noſtri decrevere legem favore libertatis: ſtatuentes ſervum communem manumiſſum ab uno ex ejus dominis, etiam reclamantibus ipſis, libertatem adipiſci permanentem, & integram; dummodo tamen a manumittente conſociis de quota ſua juxta ſervi valorem, & pretium ſit factum ſatis. Proſtat Rubrica hæc in laudato Mſ. fol. 77. hiſce exarata: *Quod ſi aliquis eſt ſervus communis duorum vel plurium dominorum, & fuerit per unum ex dominis manumiſſus, & liberatus, cenſeatur integraliter liber. Dum tamen alteri domino, vel alteris dominis fuerit ſatisfactum de par-*

 te,

te, quam habet, vel habent in dicto ſervo; ſecundum communem exiſtimationem ipſius, taxandam arbitrio bonorum virorum. Præterea alia in Rubrica ſancitum fuit, quæ, *de Maſſariis valentibus capi, etiamſi ſint ſervi alterius*, inſcribitur; Quod Maſſarius ſervus unius, degens ſuper prædio, & villa alterius, poſſit pro annuis præſtationibus non ſolutis domino prædii, ab ipſo capi, & in ſubjectionem, & dominium ſuum redigi, & retineri, donec debitum ſolvat. Hæc ſunt verba legis: *Quod ſi aliquis habet aliquem Maſſarium, qui ſit ſervus alterius, & qui ſit ſibi pro affictibus obligatus, illum capere valeat. ac ſi eſſet liber; non obſtante contradictione domini, cujus eſt ſervus*. In alia denique Rubrica fol. eod. *De Nato ex libero ventre pro libero reputando* ſancivere; quod juxta Romanas Leges natus ex libero ventre matris libertate gauderet; & contra natus ex matre ſerva, quamvis patre libero, ſervus cenſeatur & ſit domini matris ejus, in eadem ſervitutis ſpecie illi ſerviens: *Quod quicumque natus fuerit ex matre libera, cenſeatur, & habeatur, & reputetur pro libero; etiam ſi pater ejus ſit, vel fuerit ſervus; Quamvis etiam natus, & nutritus fuerit, vel longo tempore ſteterit, vel habitaverit ſuper Territorio domini patris ſui, vel ſuper quo habitat pater ejus. Quicumque vero natus fuerit ex muliere ſerva, & de Maſnata, cenſeatur, & ſit ſervus ejus, cujus eſt mulier, ex qua natus eſt; etiamſi pater ejus ſit liber*. Quam legem ita noſtri progenitores religioſe cuſtodiverunt, ut ſi etiam ex patre nobili, & ejuſdem cum dominis ſtatus, & gradus militaris, natus, vel nata eſſet filia ex matre ſerva; ſervus nihilominus, vel ſerva cenſeretur, & in ea gravi conditione permaneret; ut ex manumiſſione, quam ſubjungo, plane demonſtratur, quam ex notis laudati Nibiſſii deſcripſit laudatiſ. Abbas Binius.

Domini Detalmus, & fratres de Villalta manumittunt

tunt Prounit eorum ſervam filiam D. Federici de Villalta. Anno 1275.

„ Anno Domini MCCLXXV. Ind. X. Die VIII. ex-
„ eunte Novembri. Pñs Domino Adalgerio de Vill.
„ Epiſcopo Feltrenſi. D. Mathia de Glemona ejus ne-
„ pote. D. Liardo de Bergamo. D. Odolrico Deca-
„ no Feltren. D. Achilloto presbytero de Belluno.
„ Gabrazzo de Belluno. D. Artruſio de Villalta. Fru-
„ cerio habitatore . . . Domini Detalmus. Rantolfus.
„ & Henricus de Villalta per ſe. & D. Luduvicum
„ eorum fratrem. & eorum heredes *pro remedio ani-*
„ *marum ſuarum &c. Dimiſerunt liberam Prounit eorum*
„ *ſervam filiam D. Federici de Villalta*. Ita quod ipſa
„ debeat habitare. *& ſtare in Monaſterio*. & ſi non
„ faceret. quod ſit eorum ſicut prius. Et promiſerunt
„ ſibi &c.

„ Actum in Villalta ſub abete.

„ Et eandem dederunt nomine liberationis dicto
„ D. Liardo pro Nuncio &c.

Domini hi Caſtri Villaltæ, tam manumittentes, quam pater Prounit, erant ex gente dominorum de Caporiaco, vel, ut hi, ex eodem ſtipite Dominorum Ragoniæ; qui tamen a ſæculis defecerunt, aliis Caſtrum Villaltæ, & ditionem poſſidendam relinquentes. Ex hac charta obſervandum non ſolum, quod quamvis cum primario nobili milite ſe commiſcuerit ſerva, & ex eo partum ediderit, nihilominus ſervum remanere partum, & matris ſtatum, & miſeriam ſequi; ſed etiam quod manumiſſæ Prounit arcta conditio de ſe in Monaſterio conſtituendi imponatur, & Monialem ſe Deo vovendi, niſi vellet ad priſtinum ſervitutis jugum reverti. Quæ quidem conditio mihi ideo videtur a manumittentibus appoſita, ne ſanguis eorum nobilis in deſcendentibus ex ea ignobilitate ſervitutis fœdaretur.

I I I.

Variis in Regionibus mores varii.

De Servis, qui in hac noſtra Forojulienſi regione, ut in ceteris Europæ provinciis, & regnis, erant in uſu, hæc curſim, & tumultuaria ſcriptione proferre viſum eſt, tum ut documentis, & probationibus certis hunc morem etiam hic viguiſſe, palam facerem (quod equi-dem non omnino neceſſarium fuiſſe arbitror, cum nulli adhuc negare ſint auſi, ſed, ut credo, potius apud omnes id in comperto ſit) tum, quod aliquo in pretio eſſe poteſt, ut quidam peculiares noſtrorum antiquorum mores, ſolemnitates, & conſuetudines, quæ in variis ſervorum ſuorum ſpeciebus, nominibus, & gravaminibus, ſeu obligationibus ſervabantur, animadverteremus. Quamvis enim plerumque fuerit,& ſit certus rerum ordo, mos, & conſuetudo pene eadem ad univerſos per totam Europam pertinens; nihilominus eodem in more, & conſuetudine ſingulis regionibus, provinciis, & civitatibus, immo etiam oppidis, & pagis, ne dicam Familiis, eſt ſuus peculiaris mos, & conſuetudo, quibus ab univerſali diſtinguuntur; & res eadem in ſua origine, & ſubſtantia, diverſimode ſingulis in locis cenſetur, agitur, melioratur, & finem complementumque ſuum varium habet. Nec exemplis extra argumentum, quod habemus præ manibus, opus eſt; ſervi ipſi, de quibus ſermo eſt, affatim exempla nobis ſuppeditant. Cl. Muratorius in laudata Diſſertat. xv. Tom.I. Antiq. medii ævi col. 809. affirmat, in ditione Ferrarienſi legem, vel conſuetudinem ab omnibus obſervatam fuiſſe; ut qui natus eſſet ex libero patre, quamvis ex matre ſervilis conditionis editus fuiſſet, liber eſſet omnino, & ingenuus, ſive ejuſdem ſtatus, & conditionis ac pater; Et econverſo, qui fuiſſet natus ex patre ſervo, quamvis ex matre libera, nihilominus ſervus cenſeretur; quod idem eſt, ac affirmare, quod partus

partus non ſequatur ventrem, ſed patrem. Idque ipſe probat in Ferrarienſi Civitate, & diſtrictu ſemper moris fuiſſe; productis examinibus teſtium 1252. qui hunc morem, ſive conſuetudinem, vel legem ibi viguiſſe, ſacramento præſtito confirmant; & col. 823. his verbis: *Item dicit, quod conſuetudo in Ferraria, & diſtrictu approbata, & obtenta ſervata fuit, & ſervatur; quod nati ex patribus de Macinata, quamvis ſint de libero utero nati, ſunt de Macinata illorum, de quorum Macinata erant patres eorum*. Et ſæpius hæc eadem in dictis examinibus habentur, quibus confirmatur, hunc fuiſſe Ferrarienſium morem, vel legem conſuetudinis, quod partus ſequatur patrem, non ventrem; cum agebatur de ſtatu liberi hominis, vel ſervi. Sed ſecus fuit in Ducatu noſtro Forijulii; vidimus enim legem ab antiquo in hac patria ſancitam, conſonam Romanorum legi: quod partus ſequatur matrem, nulla habita patris ratione, & ita religioſe ſervatam in facto obſervavimus, ut filia quoque nobilis Dynaſtæ huic legi parere ſit coacta. Sed non unum hoc exemplum variantium morum, & conſuetudinum in ſervorum propoſito argumento; deinceps variationes quoque alias obſervabimus; toto cœlo a moribus, & conſuetudinibus aliarum regionum in Forojulio diſtantes; immo de directo contrarias; non in Herimannis, vel Arimannis tantum, verum etiam graviores in hominibus, ſive ſervis de Maſnata, vel de Maxinata; quod idem ſignificare, & eſſe cum Muratorio ſentio; Et exinde in manumiſſionibus, & duratione ſervorum. De illis igitur ſermonem nunc inſtituamus, terminum huic noſtræ ſcriptioni impoſituri de manumiſſionibus, & de earum ſolemnitatibus agendo, quæ noſtris Forojulienſibus in uſu fuere.

IIII.

De Arimannis.

Doctiſſimus Muratorius in Diſſertatione XIII.

De Hominibus liberis, *& Arimannis*, dum, quid eſſent Arimanni iſti, vel Hermanni, inquirit, eos homines liberos fuiſſe pro certo habet; nec, ut mihi videtur, inconſulto; nam tum ex Legibus Langobardorum, quæ de his mentionem faciunt, id depræhenditur non obſcure, & Diplomata ab ipſo non pauca in lucem edita id perſuadere videntur. In hoc autem tota ea Diſſertatione laborat, ut non demonſtret ſolum eos fuiſſe liberæ conditionis, ſed etiam conditionis honeſtioris, &, ſi Diis placet, illuſtri Vaſſallorum, & Militum dignitate honoratos, propter Feuda a dominis ſuis ipſis conlata, & propter militiæ gradus, quibus domino, vel Comiti ſerviendo in exercitu erant adſcripti. Hinc a vocabulo ipſorum, *Hermanni*, Ætimologia incipiens, eam probat, quam Eccardus affert ab *Herbmenner*, ſcilicet *Domini minores*; & eam, quam Aventinus, & Goldaſtus ex Germanico *Here*, & *Mann*; ſcilicet *Vir exercitus*, ſive *Homo militaris* proferunt; iis aliam ab ipſo excogitatam derivationem ſubjungens, quam ex Teutonico *Ehre* & *Mann* deducens, vocabulum illud valere *Honor hominis* affirmat; alias hujus vocis derivationes, tanquam propoſito ſuo infenſas, omittens, quibus Voſſius, Cangius, & alii *Clientem Domini*, & *Hominem Domini* ſignificare aſſerunt. Inde Diplomata, Judicata, & alia in lucem edit Documenta, quibus Arimannos, vel Hermannos Beneficia, Allodium proprium, & jura quædam poſſediſſe probat, præſertim in judicio aſſidendi cum Epiſcopo, & Sacerdotibus ad lites dirimendas; ut in Placito Lucenſi; & præſidendi regimini Civitatis, ut ex Diplomatibus a Lothario II. & Friderico I. Auguſtis Civibus Mantuanis conceſſis, deducit idem vir ſummus Muratorius, propoſito ſuo, & ſententiæ pluſquam ſatis addictus. Cum enim antequam chartas illas proferret, propoſitionem, quaſi ut certam, affirmaverit: Hermannos liberos homines fuiſſe, *immo quodam*

dam nobilitatis gradu ornatos , militiæque addictos , fundo aliquo in beneficium a ſeniore accepto; omnem exinde movet lapidem , ut eos nobiles Milites fuiſſe demonſtret , interpretis , & gloſſatoris fungens munere in illis chartis commentandis , & ad proprium ſenſum aliqua violentiuncula , ut ita dicam , trahendis . Nihil enim aliud , ſi quid video , ex illis documentis deduci vere poſſe arbitror , niſi Hermannos fuiſſe homines ſua natura quadam libertate gaudentes , ſed ita domino ſuo Comiti , vel Sculdaſſio obligati ad quædam , præcipue militaria , honeſtiora onera ſubeunda ; ut ſervitutis cujuſdam honeſtioris jugum portaverint . Et grave quidem jugum , a quo ſublevari , nec a dominorum , vel Comitum continentia , & benignitate poterant ; lege enim Guidonis Imperatoris cavebatur, inter Langobardas III. Tit. XI. Lib. III. , quod ſi Arimannus monitus ad defenſionem patriæ ſe hoſtiliter præparandum , defecerit , Guidrigilt ſuum componat , ſcilicet pretium ſui ſolvat ; quod pretium Comes exigere , niſi cum Miſſo Palatii Imperatoris , nequibat ; res enim ad Principem immediate pertinebat . Sed an ævo illo homines nobilitaverit debitum in militia , & in exercitu ſerviendi , videant alii : Mihi quidem conſtat , in more fuiſſe & liberos , & ſervos ſui Comitatus , & in diſtrictu ſuo commorantes, Comites ad exercitum indiſtincte convocaviſſe , cum res poſceret , caſtigatoſque ſe ſubtrahentes , & inobedientes juxta ſenſum hujus legis inter Langobardas II. loc. cit. *Quicumque igitur ex laicali ordine , tam liberi , quam ſervi homines in Comitatu manentes a proprio Comite , vel a publica parte, ab his, qui rempublicam agunt , moniti fuerint ; ſi ſe ſubtraxerint ab adjutorio ſui proprii Comitis , & eum non adjuvaverint infra ipſum Comitatum contra prædones venientes in ſuo Comitatu , tertiam partem liberi ex ſuis mobilibus componant . Servi autem* LX. *ictus a propriis dominis accipiant ;*

piant ; ſi probatum fuerit , quod eis fuiſſet denunciatum . Servi igitur quoque cum liberis vocabantur a ſuo Comite ad exercitum ad militiæ honorem capeſſendum. Forte ſervi hi ab hoc debito militiam exercendi ſub ſuo Comite nobilitatos fuiſſe , & extra ordinem ſervorum conſtitutos in gradu honeſtiorum , credere debemus. Si Hermannos , vel Arimannos hac de cauſa nobilitate donatos , & præditos exiſtimamus , cur non ſervos hoſce ?

Sed judiciis , & litibus dirimendis aſſidebant cum Epiſcopo , & Sacerdotibus . Verborum apparatus hic ſpecioſus eſt admodum , & quid magnum præ ſe ferens oculos implet , & mentem . Scire vellem ; an Hermanni iſti judicaturi aſſiderent ; vel ut dignitatem judicis , & Tribunalis venerabiliorem redderent , reverentiæ & obedientiæ conciliandæ gratia Tribunali adſtarent ? Officium , uno verbo , Apparitorum implentes , & munus ? Si hoc Apparitorum munus exequebantur, quamvis militare , & honeſtum , quaſi Somatophilaces , ſive Corporis Cuſtodes ; quiſque depræhendit , quanta , & qualis ipſis ab illo munere nobilitas derivare poteſt ; præſertim ſi Comitibus tantum , & Sculdaſſiis officium hoc impenderent . Videmus namque & hodie miniſterium hoc Magiſtratibus noſtris , qui pro antiquis Comitibus regioni præſident , præſtare milites gregarios , nec notæ honeſtioris , quique exinde nihil honoris , & multo minus nobilitatis gradum , ſibi adipiſcuntur ; ſed ut fuere gregarii , & ignobiles , ſic permanent , quamvis ſæpius ad memoratum munus vocentur . Sin vero Hermanni judicaturi judiciis aſſident [quod minime ex chartis editis liquere videtur] nihilominus , cur eis nobilitatis gradus ideo ſit affigendus , nullus video . Quot enim in Forojulio judicaturi Tribunalibus adſtant , vel Feudatariorum noſtrorum , vel Monaſteriorum , Eccleſiarum , vel Abbatum , aut Capitulorum ,

lorum, vel aliorum a Principe juriſdictionem habentium, qui ideo nuncupantur *Aſtantes* hujuſcemodi judiciorum; & nihilominus nullam exinde ſibi contendunt deberi nobilitatem, vel honorem, aut titulum nobilium ſibi depoſcunt? Et revera, quomodo Villani, & Ruſtici illi *Aſtantes*, qui tales ſunt plerumque, immo omnes, poſſunt id honoris prætendere, eo quod Tribunali judicaturi aſſideant; ſi ut ad Tribunal acceſſerunt viſu, veſtitu, verbo, & opere Ruſtici ignobiles, ac viles, tales itidem ſemper inde regrediuntur & permanent? Sed judicaturi aſſident Comiti, vel ejus viceſgerenti, cum de vita, de ſubſtantiis, de libertate, & de fama hominum Comiti illi ſubjectorum lites diſceptantur. Quid inde tamen? Nobilitatis gradum eos habere hujus officii cauſa judicare debemus? nil minus. Antiqua lex eſt hac in provincia, literiſque Pontificiis firmata, qua decretum eſt, nullum eſſe judicium, quod non per Aſtantes pronunciatur [ab ea producenda nunc ſuperſedeo, alibi fortaſſe locus aptior erit, & convenientior] ideo forte ſancita eſt, ut tot Ruſtici viles, & infimæ notæ in nobiles viros evadant? Quis credat, viros fuiſſe Principes tam ſupinæ ignorantiæ, qui hac de cauſa inſulſa, & fatua talem conderent legem? Eam, ut Democratiam aliquam, cui erat aſſuetus, barbaro populo ſervarent, condidere, reſervata nobilibus, & judicibus majoribus recenſione, & correctione judiciorum, qui ab Aſtantibus hiſce prodirent.

Sed detur Aſſertori doctiſſimo Hermannorum nobilitatis, & concedatur, quod ipſi ex ſuo officio nobiles ſint; quamvis ipſe quoque ſubdubitans per totam laudatam XIII. Diſſertationem id aſſerat, & in calce ipſius dubietatem ſuam aperte proferat his verbis: *Atque adeo en cauſa, quare conſeſſum Arimannorum, in charta Lucenſi memoratum, minime accipere audeam de nobilibus dumtaxat. Quamobrem lubet continere judicium,*

cium, *& congeſſiſſe*, *quæ potui*, *de Liberis Hominibus*, *atque Arimannis*. *An iſti Vaſſallorum*, *ſive Optimatum*, *ſive Nobilium Hominum cœtum conſtituerint*, *nec ne*, *alii fidentius decernendum relinquo*. Sed detur, & concedatur, inquam, ita fuiſſe in Lucenſi, & Mantuana regionibus; non enim ultra Chartæ prolatæ ſe extendunt; nec inde idem fuiſſe ubique locorum, elicitur; & multo minus hac in noſtra Forojulienſi provincia, in qua aliter, ac ipſe ſtatuit, fuiſſe, ſubtus deprehendemus. Proinde nullo jure, & gratis ab eodem doctiſſimo Viro in laudatæ Diſſertationis fine aſſeritur: *Fidentiſſime quidem pronuncio*, *non fuiſſe Arimannos ſervorum genus*, *ſed pluris quam ceteræ ſervorum ſpecies æſtimatum*, *immo ſupra vulgarem conditionem ſervilem*, *quæ ſententia fuit Illuſtriſſimi & Colendiſſimi Fontanini in Opuſculo de Maſnadis pag.* 46. *explodenda ſane ex iis*, *quæ hactenus attuli*. Sed, quæ attulit, aliis regionibus, non Forojulii, quod aliis moribus, & conſuetudinibus eſt uſum, ſunt convenientia; non unus enim mos fuit ubique, aut conſuetudo, ut dictum eſt. Sed præſtat Fontanini verba ipſa producere, ut quiſque dijudicare poſſit, an vir ſummus ſenſum ipſius verum, & genuinum fideliter latinis adlatis verbis expreſſerit. Hæc Fontaninus loco citato a Muratorio: *Queſti erano gli Armanni*, *che di condizion vile ſono ſtati creduti da alcuno*; *opinione ragionevolmente abbattuta dal Du Cange*; *imperciocchè eſſi erano immediatamente ſoggetti ai Conti*, *e agli Sculdaſſii*, *cioè ai Giudici &c. In un Diploma dell' Imperadore Corrado preſſo il Sigonio de Regn. Italiæ Lib.* VIII. *ſono poſti*, *come diverſi da i Servi*. *Il loro ufficio era di militare*, *e cuſtodir le Caſtella ſotto i Conti*, *ed altri Regii miniſtri*. *Erano in ſomma perſone di guerra*, *ed obbligate a prender l' armi per ſervigio del Padrone*, *e lo ſpiega il nome dedotto da Her*, *e Man*, *cioè uomo d' eſercito*; *e Marculfo nel Lib.* I. *Form.* VIII.

chiama

chiama le Armannie famiglie militari , e gli Armanni ſon chiamati liberi da Carlo Graſſo &c. Videat Lector , quam bene Fontaniniana , latine adlata verba a Muratorio , in ſenſu cum ipſis Fontanini verbis conveniant ; quæ , me hercle , ne ilum quidem a veritate exorbitant , dum Hermannorum Forojulienſium ſtatum , & conditionem nobis exponunt ; ut ſubinde palam fiet .

Arimanni , vel , ut verius , *Hermanni* in Forojulii provincia erant plane iidem , qui ab ipſa eorum vocabuli ſignificatione produntur ; nempe ut Voſſius interpratatur ab *Here* & *Mann* , Cliens Domini , vel potius ab *Heer* , quod dominus valet , & *Mann* , Homo , ſcilicet *Homo Domini* . Nam ipſi erant homines , fere ex ſubditis eorum Caſtrorum , quorum militari cuſtodiæ erant obligati ; qui ſemper , vel ad nutum Domini Caſtri præſtare debebant militare ſervitium ad cuſtodiendum , & defendendum Caſtrum ; Et hoc propter Beneficium domus , vel prædii , quam , vel quod ipſis , injuncto hoc onere , poſſidendam , vel poſſidendum eorum Domini concedebant . Nec rari erant Arimanni hi , vel Armanniæ hac in provincia ; fere enim omnia Caſtra , quæ non erant conceſſa in Feudum Habitantiæ , aut alio temporario , & infirmiori titulo , ſed in Dominium , & poſſeſſionem dominorum data erant cum jurisdictione , & aliis nobilibus prærogativis Feudalibus ; omnia , inquam , Armanniam , ſcilicet hominum catervam , vel corpus habebant , quod defendendi manu armata caſtrum domini ſui arcto debito tenebatur . Et præterea alii erant Armanni publici Principis, qui ab ipſo ad defenſionem Caſtrorum Gaſtaldiarum erant addicti ; quibus per officiales ſuos , ſingulis annis deputatos , Princeps dominabatur , vel eos ad ſuæ voluntatis placitum , Fundis , & domibus conceſſis in illo , vel in illo Pago , alebat ; Aut militaturos , cum res poſcebat , quo a Principe demandabantur ; Aut donandos ,

nandos, & concedendos, plerumque jure Feudi, ſtrenuis ſuis militibus, Caſtellanis, Officialibus, vel aliis, qui aliquo in munere de ſe bene erant meriti; vel quandoque, cum pecuniæ raritate premerentur, inſtantibus bellis, ære conlato emptoribus alienabat. Hujuſcemodi Armannos, ut aliquos pandam, habebant Principes noſtri in Pago Reanæ, illi Cortinæ addicti; quos forte Savornianis Dynaſtis conceſſerunt ineunte tempore; habebant quoque Armannos Fraellazi, veriſimiliter Caſtro Triceſimi obligati, qui adhuc in Principis immediato dominio adſunt, & alibi. Domini vero Caſtri Arteneæ, qui deſierunt eſſe eo in Caſtro quatuor quaſi ab hinc ſæculis, Armannos, & Armanniam ibidem poſſidebant; Vicecomites de Mels Armanniam de Sudrio, & de Rivo, & per totum canale, ut ajunt, S. Petri de Carnea, beneficio Comitis Tyrolis, obtinebant; Domini de Vendolio Armannos quoque non longe a ſuo Caſtro habebant; Savorniani Comites plures ex his Armannis poſſidebant; in pago enim Hinus, Monaſteti, Adorniani, & forte alibi, hujuſcemodi militum corpora dominabantur; & alii plures.

Nec crederes tamen, hos ſuos defenſores, & milites largis, & pinguibus Beneficiis Fundorum late patentium noſtros Principes, & Dynaſtas Forojulienſes demeruiſſe ita, ut talibus Armannos Beneficiis honoratos ad honeſtioris ſtatus conditionem eos ſublevaſſe viderentur, ut cum fortunis eſſent adaucti, etiam dignitate, & nobilium ſtatu, & conditione gauderent. Nil minus. Tantum domus, vel prædioli ſingulis his Armannis ſuis poſſidendum tradebant, ut vix ſe alere militem, cum muneri ſuo implendo deſerviebat, nec Familiæ ſuæ quicquam reliquum ad ſe ſuſtentandam relinquere poterat. Ut mihi compertum eſt ex pluribus chartis, ſed præcipue ex venditione manu Johannis Notarii q. Blaſii de Glemona [mihi in Apogr. tom. XVI. n. 184.

num. 184.] facta anno 1327. 14. Septembris ab Hendriolo Gaſtaldione Dominorum de Pramperg cuidam Stephano Mauro q. Jacobi de Salto de Artenea, quarumdam domorum cum *Sedimine*, *Curia*, *& horto*, *bajarzio*, *& Terra*, poſita in Salto in Arteneæ diſtrictu, pretio trium Marcharum, & XL. denariorum monetæ Aquilejenſis; In qua inſuper Emptor ſibi debitum annuatim ſolvendi jure Armanniæ Johanni Domino Caſtri Arteneæ octo Veronenſes parvulos aſſumpſit. Ex quo documento deprehendere, mihi videor, domos illas cum annexis horto &c.& terram in Salto fuiſſe veriſimiliter Armanni unius beneficium, pro quo ad cuſtodiam Caſtri Arteneæ militem agere deberet; quod beneficium nil aliud ſingulis annis reddebat, niſi valorem octo Parvulorum; Nihil enim amplius, poſtquam ſervitium militare deſiit, & in annuam præſtationem tranſiit, Armannia exinde percipiebat.

Ex hac autem miſera Beneficiorum tenuitate, Armannis pro ſervitio militari conceſſorum, horum ſervitii ceſſationis originem mihi videtur fluxiſſe, cum enim parum exinde utilitatis perciperent, quæ ad ſe alendos, ut dictum eſt, cum ſervitio adeſſe deberent, non valeret, pluſque oneris quam emolumenti ipſis inde proveniret; beneficiis illis valedixerunt, ea dominis ſuis dimittendo, & ſe militari ſervitio exuerunt. Ut autem poſtea vacantibus his beneficiolis poſſeſſores invenirent, & ſibi aliquid pararent inde commodi, aut fructus, eo jure, quo cenſebantur quondam, Armanniæ, aliis pro annua præſtatione vel frugum, vel vini, vel pecuniæ, vel omnium, locabant Domini Caſtrorum, vel Princeps, & concedebant. Quod quingentis ab hinc annis eveniſſe, mihi perſuadeo, ut ex Charta, tenuitatem hujuſcemodi beneficiorum, ſervitii militaris ceſſationem in Armannis, tempus, & cauſam hujus ceſſationis demoſtrante, quam immediate dabimus, compertum eſt. Inveſti-

Inveſtitura,qua Gregorius Patriarcha Aquilejenſis concedit Begnæ, & ſociis de Reana CXXV. Campos Terræ, de jure Armanniæ ſuæ dicti loci ad rectum ſictum Aquilejenſem pro annua præſtatione cenſus. Anno 1257.

„ MCCLXXXXVI. Ind. IX. Die vero IX. intrante
„ Februario. Aquilegie in Capitulo Cathedralis Ec-
„ cleſiæ. Pñs D. Magiſtro Alberto Cantore, Gillo-
„ no Archidiacono, Philippono, Caſtono, & Napi-
„ no de la Turre, Hermanno, & Jacobo de Utino,
„ Magiſtro Leonardo de Favugnaco, ac Alberto de
„ Tridento Canonicis Eccleſiæ Aquilegen. Martino
„ Præpoſito S. Felicis de Aquilegia, & aliis. Cum
„ D. Raymundus Patriarcha Aquilegen. quodam Pri-
„ vilegium per bon. mem. D. Gregorium Patriarcham
„ Aquilegen. ſub ipſius ſigillo pendenti conceſſum Ho-
„ minibus de Reana ſcriptum, & authenticatum ma-
„ nu Johannis Notarii de Lupico ſub anno Domini
„ MCCLVII. Ind. XV. Die V. intrante Junio, in quo
„ continetur. Qualiter D. Gregorius Patriarcha de
„ *Terris Harmanie, ſeu pertinentibus ad Harmanniam*
„ *ſitis in Reana, inveſtivit Begnam* filium q. Henrici,
„ Jacobum filium Maii, Corradum filium q. Bertaldi,
„ & Nicolinum filium q. Sabatini de Reana, recipi-
„ entes pro ſe ſuo nomine, & *nomine ac vice omnium*
„ *de Reana*. quæ pertinebant, & obtinebant *illi Pla-*
„ *cito, quod Harmania dicitur, inveſtivit jure livelli,*
„ *cenſum, ſeu fictum ſolvendo annuatim ipſi Domino Pa-*
„ *triarche &c.* Quodque *Cortina Ville de Reana de-*
„ *beat eſſe libera a qualibet perſona*, ſalvo jure D. Pa-
„ triarche, & qualiter d. D. Patriarcha inveſtivit ad
„ Rectum Fictum Aquilegen. dictum Begnam, & alios
„ præfatos de Reana recipientes pro ſe ſuo nomine, &
„ *omnium illorum, qui tenebant, vel detinuerant* CXXV.
„ *Campos* ſitos in Territorio Reanæ in loco, qui dici-
„ tur,

„ tur, *Tavella Zelata* &c. de Campis eiſdem ſolvendo
„ antedicto D. Patriarche &c. certum cenſum, ſeu
„ fictum, innovari, & tranſcribi per manum ejuſdem
„ Johannis Notarii cum foret vetuſtate conſumptum,
„ mandaſſet, prout in inſto. publico confecto, ex-
„ tractum per d. Johannem Notarium ſub anno Do-
„ mini MCCLXXXXVI. Ind. IX. Die veneris penultimo
„ Decembris, & ipſius Dom. Raymundi Pate. A-
„ quilegen. ſigillo cereo pendenti munito plenius con-
„ tinetur. Ven. Viri D. Paganus de la Turre Deca-
„ nus & Capitulum Eccleſie Aquilegen. ibidem pro-
„ pter hoc more ſolito congregati. Predictum privile-
„ gium & omnia contenta in eo ratificaverunt &c.

„ Ego Antonius Bellonus Notarius deſcripſi
„ ex antiquo Protocollo manu q. D. Valterii Nota-
„ rii &c.

Medio igitur ſæculo XIII. Armannorum militare munus hac in provincia defecerat, vel erat interiturum; corpus enim horum militum, quod tunc Princeps Reanæ habebat ad cuſtodiendam armata manu Cortinam illam [ſcilicet Caſtrum ſine propugnaculis, & ſimplici muro circumdatum] quæ ſuberat Gaſtaldiæ Tricesimi, per ſuos Patriarchales Magiſtratus recte, non amplius ad illam Cortinam tuendam tenebatur. Propterea hac in inveſtitura eadem Cor tina pronunciatur libera a quacumque perſona, quæ poſſet ratione defenſionis eam inhabitare, & in ea commorari; & reſervas tur libera tota poteſtati, & imperio Principis. Hinc quoque obſervatione digna eſt exiguitas beneficiorum, his militibus eo in pago conſuetorum concedi; cum corpori integro horum Armannorum, pro omnibus recipientibus ibi nominatis, centum vigintiquinque *Campi* Terræ tantum fuiſſet in more concedi; quot ſi uni tantum ex illis traditi fuiſſent ad poſſidendum, non multum tamen eſſet conceſſum. Unde evidenter poſſumus

mus intelligere; ſi propter Beneficiorum, ipſis conceſſorum, amplitudinem, & dignitatem Armanni noſtri Forojulienſes plebejum eorum ſtatum, & conditionem poterant exuere, & in Nobiles evadere, ac honoratos milites. Notandum inſuper quod Armanniæ iſtæ, ſcilicet Armannorum corpora, appellabantur quoque *Placita*, *& Playta*; quibus vocabulis nihil aliud in hiſce chartis, quam corpus hoc ſignificabatur; ut in hac charta *isli Placito, quod Harmannia dicitur*; quod deinceps uſuveniet. Nam cum Armanni noſtri præter ſervitium militare ad caſtra cuſtodienda aſſiſtere, & adſtare Domino ſuo in judicio deberent; hinc corpus eorum appellatum eſt *Placitum*, & *Playtum*, quod eſt conventus,& convocatio plurium ad diſceptanda negotia vel lites judicandas; Ideoque hoc vocabulo demonſtrabantur hac in regione hi Armannorum conventus, & Armanniæ ipſæ, quæ in tali conventu conveniebant, & adſtabant. En adeſt exemplum in charta, quam ſubjungo. Ipſa eſt alterius corporis, ſive Armanniæ, Fraellaci Pagi noſtri Forojulienſis conſtitutæ, quæ juris erat Principis, ipſique ſubjecta per ſuos officiales, Gaſtaldiæ e ædem Triceſimi ſuperimpoſitos; quam ex Notis autographis Bartholomæi de Superbis Not. Triceſimi deſcriptam ſervo inter mea Apographa Tom. XVI. numero 522.

Inſtrumentum Licitationis, vulgo *Incanti*, bonorum Armanniæ in Fraellaco, factæ in Placito, ſeu Conventu Armannorum, adſtantibus Vicecap. Triceſimi, & Armannis. Anno 1419.

„ Anno Domini MCCCCXIX. ind. XII. Die Dominica v. menſis Februarii. Actum in villa de Fregelaco, ubi ſolet teneri eorum Vicina, ſeu *Placitum*, Ibiq. coram *Mitrio Vicecap. Triceſimi* preſentibus Nicolao Picanoq. Morandini de Quas, Leonardo Albo de Montegnaco, Nicolao q . . . . . Marchettani de Adorgnano, Nicolao Pidruſſii de Fregellaco,

„ Tur-

" Turbano q. Pontelli, Antonio q. Nicolai ol. Pidruſ-
" ſii, Nicoluſſio q. Vulpii de Fregellaco, Franciſco q.
" Johannis..... Antonio Cyo de Fregelaco, Simo-
" ne q. Leonardi Rizogne de Fregelaco, nec non Jo-
" hannes Bituſſinus q. Valfranchi de Fregelaco *juratis*
" *dicti Dechani*, *omnes homines Armani Domini Pa-*
" *thriarche* teſtibus &c. Ibiq. Johannes q. Petri Vul-
" pii proteſtatus fuit ibidem &c. Qualiter emiſſe unum
" *Incantum* delivratum inter quindecim dies. Deliv-
" ratum fuit certa bona ſita in villa de Fragelaco. Re-
" tulit dediſſe aras in Centa Incanti ſoldos XL. & ibi-
" dem proferuerit eys dare marcham unam ſoldor. &
" voluit eys dare ſicuritatem per totam diem, ipſi non
" voluerunt ey, non dante ibi niſi oretenus pre-
" cium &c.

Hic vides, primo deſignari locum, ubi Conventus hi fieri conſueverant; ſcilicet Fraellaci, ubi ſolet teneri eorum *Vicinia*, ſive *Placitum*. Inde intelligis ſolum conveniſſe eos, qui inter Armannos illius Armanniæ cenſebantur, etiam de aliis locis, & pagis; quia Terras, & res ad dictam Armanniam ſpectantes, & pertinentes poſſidebant ſub ejus pagi diſtrictu; & eos omnes hic appellatos fuiſſe *Homines Armannos Domini Patriarche*; quia hæc Armannia erat ejus propria, & ipſi, ſuis Rectoribus Gaſtaldiæ Triceſimi mediantibus, erat ſubjecta. Præterea judicium hoc licitationis a Vicecapitanio, qui Triceſimi Gaſtaldiam tunc pro Patriarcha moderabatur, inſtitutum; in quo ipſum reſediſſe ut judicem depræhendimus, adſtantibus tantum, non judicaturis illis Armannis. Id enim valere mihi videntur ea verba: *Coram q. Mitrio Vicecap. Triceſimi preſentibus Nicolao Picano &c.* τὸ *Coram* namque ſemper juſdicenti, vel judici adjungebatur, & judicaturum domonſtrabat; & τὸ *preſentibus* deſignare teſtes etiam in judiciis, paſſim in chartis noſtris Forojulienſibus animadverti; quod eo

 ma-

magis hic videri debet, cum in fine apponatur *teſtibus*. Nec equidem negaverim, hos Armannos; quamvis uti teſtes hic nominatos; de rebus diſceptandis protuliſſe ſententiam ſuam; eo modo, forma, & jure tamen, quo alii aſtantes in omnibus, & quibuſcumque judiciis Forojulienſibus idem quondam præſtabant; de quibus aliquid ſupra diſſeruimus. Alia etenim in charta, quam edituri ſumus, quamque temporis recentioris e notis autographis Valentini Venerei Notarii Triceſimi in mea Apogr. Tom. XVI. num. 486. tranſtuli; non uti teſtes, ſcilicet *preſentes*, Armanni, qui erant tunc temporis Fraellaci, nominantur, ſed uti ſedentes in Placito, ſive judicio Armanniæ dicti loci, conſcribuntur cum Vicecapitaneo Triceſimi, deliberaturi de quadam parte Terræ, a quodam Armanno dimiſſæ propter impotentiam debitam penſionem ſolvendi; quam ideo conceſſerunt cuidam Jeremiæ Janzil de Vergnaco, qui in locum dimittentis ab ipſo Conventu, ſeu Placito Armannorum receptus poſtea fuit in eorum vicinum, & conſortem dicti placiti, ſcilicet in Armannum illius Placiti.

Charta dimiſſionis Ant. de Vendolio incolæ Fraellaci de Terra, quam in Placito Armannis conceſſerunt Jeremiæ Janzil eum aſſumentes in conſortem Armannum. Anno 1551.

„ Anno Domini 1551. Ind. IX. Die II. menſis
„ Februarii. Actum in villa Fregellaci penes puteum
„ Communis. Pñs Oſvaldo q. Petri de Loneriaco,
„ & Petro q. Luchini Puntuſſii de Fregelaco, & Cle-
„ mente filio probi viri Pontelli Puntuſſii de dicto loco
„ teſtibus &c. Ubi Simon q. Vidoni Rizogna *Decanus*,
„ & Michiluttus q. Johannis Temblacii *juratus Plaſti*
„ *de Fregelaco*, juramento eorum officii retulerunt
„ mihi Notario infraſcripto. Quod heri Antonius, &
„ Johannes fratres filii q. Nicolai Rubei de Vendoleo,
„ habitans in Fregelaco, ſibi Decano, & jurato re-
nun-

„ nunciarunt infraſcriptum dimidium Campum, di-
„ centes, ſe non habere modum ſolvendi affiſtum, ſol-
„ vi debitum d. Playto ſuper eo; *& hoc in Placito* ſe-
„ dente *Modeſto eorum fratre, Vicecap.* Sp. D. Johan-
„ nis Baptiſtæ de Ballis Honſ. Cap. Triceſimi in loco
„ ſolito ex conſuetudine *cum infraſcriptis vicinis Play-*
„ *ti prædicti*, vid. vocatis ad ſonum Campanæ *de more*
„ *ſedentibus cum d. D. Vicecap.* vid. Johanne q. Petri
„ Meniæ de Lomeriaco, Johanne q. Thomæ Colauti,
„ & Leonardo q. Berthuli Colauti de Adorgnano, &
„ ſupraſcripto Johanne Nicolai Rubei, & Baptiſta
„ q. Petri Puntuſſii, Gregorio Driulino, Baptiſta Ri-
„ zogna . . . . . . & Rugerio de Sanſtis de Fregelaco,
„ qui omnes ſupraſcripti unanimiter, & pari conſenſu
„ *deliberarunt* in manibus Jeremiæ Janzil de Vergnaco
„ unum dimidium Campum ſitum in finibus Fregelaci
„ in loco d. Paſcal præſenti &c. ſe &c. ſtip. et accipien.
„ ti cum onere ſolvendi quotannis eidem *Playto, &*
„ *Decanato* Frumenti *Dreſta* duo, et Avenæ *Dreſtum*
„ unum, qui medius Campus confinat etc. Ita quod
„ amodo d. Geremias *Vicinus & Conſors d. Placiti ſit,*
„ *& Decanatus*. Quam deliberationem ſupraſcripti
„ Decanus, jurati, et vicini promiſerunt etc.

Hanc cum ſuperioribus editam chartam volui; tum ut pateret, qui eſſent noſtri Armanni in ſuo ſervitio militari, tum qui eſſent in eorum judicio, ſive Placito, cum Tribunali Officialium, ſive Reſtorum Patriarchalium adſtarent, vel aſſiderent; Et præterea quanta eſſent Beneficia, ipſis a Dominis ſuis conlata; ut exinde cujus ſtatus, gradus, et conditionis eſſent Armanni noſtri, quiſque dijudicare poſſit. Sed evidentius pateſit ex duabus ultimis chartis, ad Armanniam Fraellacenſem pertinentibus; ibi enim nominatim recenſentur omnes illius Placiti Armanni, qui illis duobus in Conventibus adfuere. Videat, quæſo, Leſtor,

 an ex

an ex eis unus aliqua honoratus dignitate, vel nobilitate reperiatur, titulis honorariis debitis illi tributis, vel ſaltem honeſtiori aliquo titulo ab infima ruſticorum plebe diſtinctus. Nullus mehercle, omnes puro, ſimplicique nomine ſunt deſcripti, ævo etiam XVI., quo titulorum phaleræ in communem uſum irrepere cœperant. Non erant ergo Arimanni aliquo nobilitatis gradu in noſtro Forojulio diſtincti; non ævo noſtro, ſeu non longe ab hinc diſtanti, non antiquis ſuperioribus ſæculis. Si enim officium, et munus Arimanni nobilitate aliqua antiquiores ejus poſſeſſores illuſtraſſet, nulli dubium, quod hodie quoque id efficeret; ſed noſtra in provincia, ubi adhuc Armanniæ quædam vigent, nemo uſque dum nobilitatem ſomniavit.

Ceterum, ut more meo verum ingenue fatear; mihi dubitanti neſcio quid ſubolet, fuiſſe forſan in Forojulio duas Hermannorum ſpecies; nobilem unam, honoratoque decoratam gradu; alteram tenuioris fortunæ, et vix plebi infimæ ſuperſtantem, de qua jam diſſeruimus. Dubium hoc mihi injecit Schedula, ſive Memoria, neſcio an ab Antonio Bellono, vel ab alio concinnata, quæ mihi adeſt in Apogr. n. 768., quamque mecum quondam amiciſſimus Hieronymus Fontaninus, Archiepiſcopi Ancyrani fratrer, et Canonicus Aquilejenſis communicavit; in ea hæc habentur: *Extant in Filzia Belloni Senioris, cooperta Membrana, Inſtrumenta, Partes, & Privilegia. Terminatio, quod Glemonenſes vocati Arimanni, ſeu Edelingi non graventur ultra quam pro* CL. *Libris, facta in* 1280. 4. *Julii*. Quid ſint *Arimanni* jam vidimus, etiam in ſenſu Muratoriano; Quid ſint *Edelingi*, Cangius his verbis nos docet: *Vox originis Saxonicæ, quæ nobilem, & natalium ſplendore illuſtrem quempiam ſignificat; ab Ædel, vel Edel, nobilis; quam etiam nunc uſurpant Germani eo ſignificatu.* Ut ex Dictionario Franco-Germanico-Latino Duez com-

compertum plane eſt ; Et eandem hanc vocem habere ſignificationem confirmat explicans voces quaſdam Goticas , Vandalicas , et Langobardas Hugo Grotius : *Adalingi, Athalingi; Nobiles Paulo interprete* . Quam equidem hujus vocis interpretationem habemus a noſtro Paulo Diacono lib. I. cap. XIIII. de Geſt. Langob. hiſce : *Omnes autem* [loquitur de Regibus] *Adelingi fuerunt . Sic enim apud eos quædam nobilis Proſapia vocabatur* . Nullibi hanc Terminationem , ut eo verbo utar, invenire potui ; Ideoque mutus in hac parte cum dolore reticere cogor ; cum Glemonenſium meorum antiquiſſimæ nobilitati hoc quoque adjungere ornamentum , et decus nequeam , nobilis ſcilicet et illuſtris Edelingorum Hermanniæ , unice , quod ſciam , ab illis inter noſtros Forojulienſes poſſeſſæ .

V.

De Servis de Maſnata .

Sed utcumque ab Arimannis expediti ad homines de Maſnata tranſeamus . Vox hæc *Maſnata* , ſive *Maſnada* , varie ab aliquibus derivatur , ſed cum doctiſſimis Fontaninio noſtro , et Muratorio nos eam a *Manſus* (qui lingua noſtra , vel Dialecto Forojulienſi appellatur *Mas* , ab antiquo Galliarum ſermone , qui plurimum in hac noſtra Dialecto abbundat) et *Natus* originem ſuam ducere pro certo habemus ; Qnaſi Homines illi in Manſis nati , alti , et educati , a Manſorum Dominis ibidem poſiti ruſtico operi ſerviebant . *Manſus* enim , ut placet Cujacio lib. I. tit. I. de Feudis *vel Fundus eſt , unde quis ſe , & familiam ſuam tueri ſatis commode poteſt ; ac præterea vectigal , ſive cenſum Domino referre ;* quem antiqui noſtri hic eſſe vigintiquatuor , ut ajunt , Camporum decreverunt ; quæ agri quantitas ad alendam Familiam colonorum , et ad cenſum ſolvendum ſufficere poteſt , ut noſtris eſt in comperto . Homines igitur hi de *Maſnata* ita appellabantur , quia unicuique

cuique Manſo iſtorum hominum familia imponebatur, tum ad ſe alendum, tum ad præſtandum domino feudi certum annuum canonem, & penſionem, tam frugum, quam operarum perſonalium; prout inter dominum & ſervum erat conventum, ut plerumque vel ad libitum, & voluntatem domini.

Hos Homines de *Maſnata*, ſive de *Maxinata*, vel de *Macinata*; ut appellantur in Chartis Ferrarienſibus, a Muratorio editis; quæ verba idem ipſi cl. viro ſignificare videntur; ipſe in laudata Diſſertatione XIV conditionis ſervilis non fuiſſe in ditione Ferrarienſi pluribus conatur evincere; quam quidem illi facile concederem, niſi ad alias Italiæ regiones id quoque trahere videretur. Cum enim tota pene ejus diſquiſitio, & conatus Feudorum innitatur inveſtituræ, factæ ab Azone VII. Marchione Eſtenſi, vel Ateſtino Petro filio Dominæ Venexiæ Homini ſuo de *Macinata* anno 1262. & illa inveſtitura cum aliis chartis ab ipſo productis, ad id confirmandum, *Homines* iſtos ita ſemper appellent, numquam *ſervorum* vocabulo; non video, cur homines hi ejuſdem conditionis cenſeri debeant cum aliis hominibus de *Maſnata*, qui vere & nuncupabantur, & erant ſervi; & fidenter pronunciare, univerſim *Homines* hos de maſnata militaris gradus fuiſſe, Feudorumque ac nobilitatis capaces, quam cum Feudis induere ſolerent. Forte in ditione Ferrarienſi, & ſub Ateſtinis Marchionibus alia ſpecies erat hominum de Maſnata, quæ inter nobiles locum habebat; vel Homines iſti Ferrarienſes de *Maxinata*, ſeu *Macinata* idem non erant cum hominibus noſtris de *Maſnata*, nec eandem ſignificationem voces hæ habebant. Sed hoc quoque viro doctiſſimo concedatur, quod ſub illis principibus & Ferrariæ Homines iſti de *Maxinata* ad nobilitatem, Feudis a Principe ipſis conlatis, accedere poſſent; hoc tamen in exemplum pro noſtris Forojulienſibus hominibus de

Maſnata

Maſnata nequaquam trahi poteſt. Nam antiqui noſtri tanquam ſervos homines iſtiuſmodi poſſidebant; eo vocabulo eorum ſervilem conditionem demonſtrabant; deque illis, quocumque contractu mediante, diſponebant ad libitum, & denique ut ſervos ſuos manumittebant. Hi præterea homines, et ſervi de Maſnata in Feudum a Patriarchis nobilibus viris concedebantur; ut pluribus in locis videre eſt in Aquilejenſi theſauro; ubi Henricus Dominus Zellaci an. 1300. fuit confeſſus habere in feudum ab Eccleſia Aquilejenſi inter alia partem ſuam caſtri de Soclevo, et partem ſuam *Maſnatæ* hominum de Cuynias in Carnea. D. Otto de Glemona de conſilio Canonicorum, vaſſallorum, et miniſterialium Eccleſiæ Aquilejenſis inveſtitus fuit anno 1212. a Patriarcha Wolfchero inter alia de terra, et *Maſnata*, et omnium, quæ habebat in caſtro, et villa de Tiven. D. Bertoldus de Caſtillerio confeſſus fuit anno 1292. habuiſſe in feudum ab Eccleſia Aquilejenſi inter alia homines treſdecim de *Maſnata*, computatis fœminis, et maſculis; et alibi.

Cuicumque quoque contractui ſubjacebant, ut alia mobilia animata, et inanimata, et immobilia; titulo enim venditionis alienabantur, uſitatis, et conſuetis formulis, et ſolemnitatibus, quibus res aliæ venumdabantur; ut ex hoc inſtrumento, quod ex notis Franciſci Sibelli not. Glemonenſis in mea apographa tranſtuli num. 867.

Domini Ulvinus & fratres q. D. Henrici de Pramperch vendunt D. Lappo de Amideis de Florentia, habitatori Glemonæ ſuam Maſnatam de Trava. Anno 1324.

„ Anno Domini MCCCXXIV. Ind. VII. die VI. in-
„ trante Octubre. Pñs Henrico filio D. Artichi
„ de Pramperch. presbytero Jacobo q. Coculi. Jacobo
„ filio q. Conradi de Macellis &c. Domini Ulvi-

 nus.

„ nus . Artuichus . & Guigelmus fratres filii D. Henrichi de Pramperch pro ſe et vice ac nomine fratris eorum Henrici &c. *pretio* CC. *Libr. vr. par.* definito. etſi plus valerent &c. dederunt, *vendiderunt*, tradiderunt &c. D. Lappo Amidey de Florentia habitatori Glemone ſibi &c. in perpetuum *Maſnatam* infstām. videlicet Pellegrinam uxorem Weçili de Trava filiam q. Adami de Rivey, et Lucarde uxoris ejus . et duos filios dicti Vuecili preſentis . vid. Travanum et Jacobum . et filias ſuas . vid. Radiam. Domnizam uxorem Petri filii Johannis Ingarami de Trava . cum duabus filiabus . vid. Candidam , et Conſtantinam . et cum uno filio qui dicitur Marchus . cum omnibus ſuis heredibus ab ipſis de cetero deſcendentibus . et duas filias alias dicti Wecili preſentis et volentis . vid. Maddalenam et Margaretam . et omnes et ſingulos heredes maſculos et feminas . ab ipſo Wecilo , et a predicta Pellegrina jugalibus . et ab aliis filiis et filiabus ſupradictis deſcendentes . Ad *habendum &c. donandum &c. liberandum &c.* et ad Eccleſiam Aquilegen. ſeducendum . et in hoc conſtituerunt eorum certum Nuncium &c. Jacobum filium q. Conradi preſentem .

„ Actum Glemonæ in portis ante domum olim Johannis walframi ec.

Nomine , et titulo donationis cuicumque ad libitum domini concedebantur cum deſcendentibus eorum omnibus , et bonis , ut ex ſubjuncto docnmento , quod ex autographa pergamena , apud humaniſſimum Abbatem Binium exiſtente , manu Thomaſini q. D. Bellamici not. de Spegnimbergo in meis Apogr. tranſcripſi numero 875.

Dominus Nicolaus dictus Parvus de Ragonia donat in perpetuum Domino Wicardo fratri ſuo de Colloreto Johannem , et Uravinum ſuos homines

mines de Maſnata cum omnibus eorum heredibus, et bonis. Anno 1333.

„ Anno Domini MCCCXXXIII. Ind. I. die x. intrante Auguſto. Pñs Dominis Wilielmo dicto Fanſino de Prampero. Tuceo Tuſco. Henrico filio ol. D. Odorici de Zoppola nunc Spegnimbergi commoranti. Et Petro filio ol. D. Juſeffi de Glemona. et aliis. D. Nicolaus dictus Parvus de Regonia de certa ſcientia nec per metum errorem ſeu circumventionem aliquam de ſua tenuta, et corporali poſſeſſione per ſe etc. dedit etc. *atque donavit*, *pure libere ſimpliciter atque irrevocabiliter*, D. Vicardo fratri ſuo de Coloreto recipienti pro ſe etc. *Johannem & Vravvinum fratres filios q. Galioſe*, *ſuos Homines de Maſnata* cum omnibus eorum *heredibus* preſentibus et futuris, et cum omnibus eorum *bonis & peculiis* preſentibus et futuris. Ad habendum &c. *vendendum donandum* aligenandum etc. permutandum pro anima et corpore judicandum et *quidquid ei & heredibus ſuis deinceps placuerit perpetuo faciendum*, abſque omni contradictione et repetitione dicti D. Nicolai etc. Promittens etc. dictam *Donationem* ratam et firmam habere perpetuo etc. ſub pena dupli etc. valoris dictorum hominum et bonorum ipſorum etc. Qua pena etc. Et dedit ſibi ipſum Fanſinum Nuncium ſpecialem ponendi ipſum D. Wicardum in tenutam et corporalem poſſeſſionem de dictis Hominibus cum omnibus bonis ſuis etc.

„ Actum Spegnimbergi in Ecclia S. Marie.

Quamvis hac in charta fratres nuncupentur, ne credas hos Colloreteum, & Ragoneum fratres fuiſſe Germanos, & exinde illuſtrem Colloreteorum gentem Caſtro quoque Ragoneæ dominatam fuiſſe; Fratres enim erant uterini, & filii ejuſdem matris Benvenutæ de Turiſendis Veronenſibus dominis Gardæ; quæ prius Jaco-

Jacobo Ragoneæ domino nupſerat, ex quo Nicolaum Parvum ſupramemoratum ſuſcepit; &, eo vita functo, Guillelmo de Mels matrimonio anno 1294. 2. Junii juncta fuit, cui ipſa laudatum Wicardum peperit.

Præterea ſocietates inibantur inter nobiles de fructibus, et utilitatibus, tam in bonis, quam in perſonis, quæ a ſervis in communionem, et ſocietatem poſitis provenire poterant; ut ex documento, quod deſcripſi ex Protocollis Candidi q. Johannis Vanni de Utino habitantis Tercenti, quodque mihi adeſt in Apogr. tom. XVI. num. 48.

Domini Nicolaus et fratres de Caſtellerio, et D. Freſcus de Cucanea paciſcuntur de ſervis de Maſnata in ſocietatem poſitis. anno 1393.

„ Anno Domini MCCCLXXXXIII. Ind. I. die XXV. „ menſis Aprilis. Actum Utini ſuper Plathea dicti lo- „ ci Pñs Nobb. Viris Dominis Johanne Paduano „ q. D. Franciſci de Coloreto, D. Hectore q. D. Fran- „ ciſci de Straſſoldo, Franciſco q. Odorici de Percoto „ Utini habitantibus, et quoque Nicolao de Soldoneriis „ Utini habitante teſtibus etc. Cum *contractum* „ *ſit matrimonium inter Lenam* filiam Nicoluſſii de Ca- „ ſtellerio, *feminam de Maſnata* Nobb. Virorum D. D. „ Nicolai, Leonardi, et Morandi fratrum q. D. Man- „ fredi de Caſtellerio ex parte una, et *Baldinum* q. O- „ dorici de Budrio *Hominem de Maſnata* nob. Viri „ D. Freſchi q. Egr. Militis D. Schinelle de Chucanea „ parte ex altera, pro ut ibidem dicta omnia fateban- „ tur etc. Nunc vero præfati D. Nicolaus, et Leonar- „ dus fratres q. d. Manfredi de Caſtellerio per ſe etc. „ ex parte una, et nob. vir D. Freſcus q. d. D. Schi- „ nelle Militis de Chucanea parte ex altera, ad tale „ pactum et compoſitionem inter ſe pervenerunt etc. „ Videlicet quod quotieſcumque dictæ partes etc. *per-* „ *venire vellent ad diviſionem dictorum Baldini & Le-*

„ *ne*

,, *ne jugalium*, *&* *omnium heredum ſuorum* tam ma-
,, ſculorum , quam feminarum ex ipſis deſcendentium
,, perpetuo in infinitum , *nec non omnium bonorum* mo-
,, bilium et immobilium per ipſos aquiſitorum et aqui-
,, rendorum , quod facere debeant duas partes , et di-
,, videre in hunc modum . Vidt. quod omnes heredes
,, tam maſculi quam femine nati et naſcituri ex dictis
,, jugalibus cum omnibus eorum bonis mob. et immob.
,, *& dote ipſius Lene* de cetero aquirendis per dictos
,, jugales, *dividi debeant per medietatem equalibus por-*
,, *tionibus inter dictas partes &c. Exceptis omnibus*
,, *bonis immobilibus* aquirendis per dictos jugales et eo-
,, rum heredes in monte *& ſuper montem de Budrio*,
,, que pervenire debeant dicto D. Freſco et ejus here-
,, dibus , et nihil ad dictos D. Nicolaum , Leonardum,
,, et Morandum fratres , nec ad eorum heredes etc.
,, Renunciantes etc. Promittentes etc. ac jurantes etc.
,, ſub pena dupli etc. qua ſoluta vel non etc.

Dñi Caſtri Caſtellerii una cum eorum Caſtro, quod ſolo æquatum eſt , jam a ſæculis deſiere ; Cucanei adhuc in pluribus Familiis vigent . Notandum, quod pacta hæc ſunt inita cadente ſæculo XIIII.anno ſcilicet *1393*.Unde aperte demonſtratur ; non ſolum eo ſæculo ; ut alibi, ſervos in Forojulio non ceſſaſſe , ſed immo ita viguiſſe , ut de utilitatibus , ex eis in ſequenti ſæculo XV. ſperatis paciſceretur ; de quo ſubtus .

Sed cur per omnes contractuum ſpecies , qui abbundant , excurro , ut palam faciam Homines hos noſtros de *Maſnata* ſemper fuiſſe ſervos , et infimæ conditionis , cum eſſent glebæ affixi , et addicti , et cum fundis , quibus inhærebant , ſimul venundabantur , et diviſim , ut bruta cetera , quæ jugo ſuppoſita terram findunt , venibant ; Res enim jam , ut quiſque cognoſcit, per ſe patet ; ideo alia documenta , quæ mihi affatim adſunt , præterire , ne longior ſim , conveniens exiſtimavi .

Digitized by Google

mavi. Sed cum eſſent ita ſuorum Dominorum poteſtati hi ſervi dicati, obſervatione dignum eſt, eos nihilominus Dominis ſuis de ipſis fide ſervanda ſacramenta præſtitiſſe, deque in eorum ſervitio manendo, et ſe gerendi, ut veros et juſtos ſervos, et homines de *Maſnata*. Adeſt notitia hujuſcemodi ſacramenti, ab ipſis præſtari conſueti in Notis laudati Nibiſſii Notarii Glemonenſis, mihi deſcripta in Apogr. num. 871. quam brevitatis etiam commendatione profero: *Anno Domini* MCCLXXV. *Ind.* III. *Die* XII. *intr. Novembri. Pñs D. Leonardo. Henrico ejus filio. Zojone Sartore &c. Wergendus Muſchitan. Gerardus filius q. Magri Conradi, & Zarbus Sartor ad S. D. E. jurarunt D. Candido filio q. D. Candidotti de Glemona tanquam eorum Domino. Sicut Homines de Maſnata &c. Actum Glemone in Eccleſia S. Marie*. Compendiaria equidem nimis, et brevis eſt memoria, ſive notitia hæc, nec ſacramentum proferens per extenſum, a quo forte aliquid novi doceremur; ſed quia tunc veriſimiliter hoc erat obvium, et omnibus notum, a Notario prætermiſſum eſt. Obſervandum tamen eſt, hoc ſacramentum in Eccleſia præſtari conſueviſſe, publice ſcilicet, et ante Aras, majoricum ſolemnitate, qua nunc plerumque in hiſce actis non utimur. Ceterum non omnino difficile eſt, conjectura aſſequi, ſervorum cognita conditione, quale fuerit ſacramentum hoc; præſertim cum in Eccleſia præſtari conſueverit, ad majorem firmitatem, & jurantis obligationem. Neſcirem tamen, an omnes, et ſemper ſervi hujuſcemodi Dominis ſe ſacramento obſtringerent; forſan ii tantum id faciebant, quos recens acquiſiverant, vel ſe ſponte ipſis tunc ſe ſubdiderant.

Aliquando etenim alia, vel alia de cauſa liberi homines, et ratione adducti, ſe Domino alicui ſponte in ſervitio, etiam de *Maſnata*, ſubjiciebant, et, quod mirer,

miror, non homines liberi ſolum, verum etiam nobiles, certe deſperatione ducti, id agebant; ut ex charta, quam profero, diſcere mihi contigit; quam ex notis laudati Nibiſſi quondam in mea Apogr. tranſtuli numero 72.

„ Anno MCCLXXII. Ind. XV. Die III. exeunte „ Madio. Pñs D. Pituſio de Artenea. Pizapa„ no ejus filio. D. Johanne Sacerdote in Artenea. „ D. Hengalperto de Ragonia. Druſumerio de Arte„ nea. Sandone Pivadore. et al. *Cono filius D. Bru„ nonis quondam de Artenea* confeſſus fuit, ſe non face„ re per violentiam, ſed ex pura voluntate et bona „ conſcientia, *jurans ad ſancta Di quatuor Evangelia* „ per ſacramentum ſibi preſtitum per ſe, & heredes „ ſuos ex ipſo deſcendentes, *D. Mathie de Glemona* re„ cipienti pro ſe et fratribus ſuis abſentibus, *Quod fa„ mulum eſſe, & eorum Hominem de Maſnata*, et quod „ eis et bonis eorum portabit fidem et legalitatem, „ *tanquam homo famulus de Maſnata tenetur ſuo domi„ no facere & obedire*. Actum in Caſtro Pram„ bergi.

Cono hic, filius Domini Brunonis, erat ex antiquiſſima, et nobili Gente dominorum caſtri Arteneæ; quos ejuſdem illuſtris Stemmatis cum Comitibus Artemburgenſibus in Carinthia affirmat Wolfgangus Lazius de Migr. Gent., et nihilominus jurat, ſe futurum hominem de Maſnata non ſolum, verum etiam famulum, ideſt ſervum, domini Mathiæ de Glemona, una cum heredibus ſuis ex ipſo deſcendentibus.

Ex dictis, et adlatis, ſervos fuiſſe homines noſtros de *Maſnata* planiſſime conſtat ita, ut nullius alterius adminiculi ad hanc rem comprobandam opus eſſe, quiſque intelligat. Attamen etiam de *Manumiſſionibus* aliquid inſuper ſubjungendum; tum ut res per ſe patens amplius confirmetur, tum ut mores noſtrorum anti-

quorum

quorum varios, et non omnibus communes, in hac antiquitatis parte palam fiant.

V I.

De Manumiſſionibus.

Variæ hac in provincia ſuere *Manumiſſionum* ſpecies; aliæ enim erant ratione intentionis, et cauſæ, quibus moti domini ſervos libertate donabant; et rurſus inter ſe erant diverſæ propter variam verborum vim, et formulas, modos, ſeu cærimonias, et ritus, quibus eæ peragebantur; plerumque convenientes, et accomodatæ ad palam demonſtrandam, et confirmandam libertatem, quæ jam conceptis verbis data erat in Tabulis. Sed ſingula harum ſpecierum quoque in plura, ut ita dicam, individua ſubdividitur, quod facile ex ipſarum Manumiſſionum documentis deprehendemus. Non enim omnes formulæ, ritus, et mores, nec ſemper eadem cauſa, et ratio manumittendi in ſingulis manumiſſionum inſtrumentis ſervata eſt; aliquando namque plures ſimul, aliquando pauciores, et aliquando una tantum Formula in ipſis Tabulis conſcribendis ſervata eſt. Nos hic inſtrumentum producemus, ſive Tabulas Manumiſſionis unius, quæ cauſas pleraſque, propter quas ſervis libertas concedebatur, exprimit; et inſuper ritus varios continet, qui tam in verbis inſtrumenti, quam in facto dandæ libertatis antiquis noſtris erant in uſu frequentes. Hoc ſcelegimus documentum inter plura, quæ nobis adſunt, Manumiſſionum inſtrumenta, et deſcripſimus in noſtris Apogr. numero 873. ex originali Pergamena manu Johannis q. Aylini Notarii de Maniaco, et Chronographi noſtri Forojulienſis, apud laudatiſſimum Abbatem Binium cubante.

D. Simon q. D. Pirinzoli de Maniaco manumittit Nicolaum q. Amici Muſæ de Maniaco Hominem de Maſnata, dato ſacramento. Anno 1357.

Anno

„ Anno Domini MCCCLVII. Ind. x. die III. exeunte menſe Auguſti . Pñs Diſcretis Viris Dominis presbyteris Martino et Nicolao Vicariis plebis Maniachi . Presbytero Petro Vicario Plebis Leſtani. Ac Nobilibus Dominis Bartholomeo q. D.Galvani. Ven. Viro D. Fratre Utuſſio cuſtode Aule S. Quirini . Odoricho ejus fratre q. D. Volveni . Bartholomeo et Candido fratribus q. D. Odorigoſii . Antonio q. D. Jacobi de Porta . Articho filio naturali prediĉti D. Bartholomei omnibus de Maniaco . Ac Moreto q. D. Walterii de Meduno . Laurentio filio Mag. Franciſci diĉti loci . Leonardo ejus fratre nunc habitante in Maniacho . D. Zanino q. Odorielle de Monteregali . et Johanne q. Bartholomei diĉti loci teſtibus &c. Qui Hominem ſibi ſubjeĉtum in hoc ſeculo liberum et abſolutum dimittit. eandem remunerationem in futuro ſeculo a Deo merebitur . Ideoque nob. Vir D. Simon q. D. Pirinzoli de Maniaco nunc habitans in Portunaone per ſe etc.[1] *pietatis intuitu* et ob remiſſionem ſuorum peccatorum , et predeceſſorum ſuorum , ac etiam [2] *propter grata ſervitia* et obſequia , que ipſe recepit a Nicolao q. Amici Muſe de Maniacho [3] *ſuo Homine de Maſnata* . Eundem Nicolaum ſuum hominem de Maſnata cum omnibus ſuis heredibus , ſeu liberis maſculis et feminis,tam natis quam naſcituris,ſibi etiam pertinentibus et ſpeĉtantibus , cum toto ſuo peculio [4] et omnibus ejus bonis , tam preſentibus quam et futuris.Manumiſit ac liberavit[5]*ab omni jugo et vinculo ſervitutis*. quo ſibi aſtriĉtus erat,ſeu aſtringi poſſet. Et ipſi Nicolao ſuiſq. filiis et heredib. , tam maſculis quam feminis natis et naſcituris , et cuilibet eorum [6] *Libertatem puram* ſecundum uſum et conſuetudinem Romanæ Civitatis et Aquilegen. Eccleſie , dedit et tradidit . Ipſumque Nicolaum cum prediĉtis

dictis ſuis liberis et heredibus maſculis et feminis , tam habitis quam habendis , et toto eorum peculio , et omnibus eorum bonis mob. et immob. preſentibus et futuris , ſibi pro medietate pertinentibus . Tam heredes quam bona , quam heredes et bona dividi debent cum D. Oſwaldo q. D. Almerichi de Maniaco ibidem preſente . [7] *Donans* et dans pure . mere , et libere . et titulo irrevocabilis *Donationis* . que dicitur inter vivos . que nullius ingratitudinis offenſa . fraude ſive cauſa revocari poteſt . [8] *Sancte Aquilegenſi Eccleſie* eundem Nicolaum . Nec eum aut ejus filios ſeu filias natos et naſcituros ab ipſa Aquilegenſi Eccleſia [9] *alienare* valeat . Sed ſemper *in ejuſdem Eccleſie Dominio,* poſſeſſione, et tenuta remaneant.Eximens eciam predictumNicolaum et omnes ejus filios et filias preſentes et futuros penitus. et dimittens nunc et in perpetuum a ſua [10] *poteſtate, & Dominio , & tenuta* . Et ab omni conditione et gravamine . ac eciam [11] *operarum* impoſitione . tam *obſequialium* . que conſiſtunt in faciendo . ut in aſſurgendo ſalutando et hujuſmodi . tam eorum que conſiſtunt in non faciendo . ut puta de non vocando in jus Manumiſſorem venia non petita . et aliorum omnium tam *artificialium* quam *fabrilium* . Et ab omni [12] *ratione adminiſtrationis* reddenda . quam geſſerunt in ſervitute . Inſuper remiſit ex hac hora ipſis Manumiſſis . et eorum cuilibet omnia *jura* [13] *patronatus*.que conſiſtunt tam in faciendo quam in non faciendo . Ita quod dicti Manumiſſi et eorum quilibet. non obſtante aliqua ejus Dominica poteſtate . et ſine aliquo obſtaculo ſervitutis . et ſine ſuorum heredum et filiorum ac filiarum ſuorum . et cujuslibet alterius contradictione [14] *contrahere valeat* . teſtari . paciſci . et quodcumq. genus ultime voluntatis . et judicio intereſſe . Et omnia et ſingu-

la

„ la facere & procurare tam in judicio quam extra ;
„ quod quilibet [15] *ſui juris*, ſeu *Homo Aquilegen.*
„ *Eccleſie* facere poteſt. Promittens quoque prefatus
„ D. Simon [16] *ac jurans corporaliter ad S. D. E.* ſa-
„ croſanctis ſcripturis tactis &c. ſe &c. ad hæc obligans
„ omnia ſua bona preſentia & futura, cum refectione
„ damnorum & expenſarum litis & extra ac intereſſe.
„ dictas Manumiſſionem. liberationem. & donatio-
„ nem. & omnia & ſingula in hoc inſtrumento con-
„ tenta perpetualiter firma rata grata habere &c. &
„ non contrafacere &c. Sed dictum Nicolaum manu-
„ miſſum & prefatos omnes ejus heredes &c. dicte A-
„ quilegen. eccleſie in ratione legittime defendere.
„ manutenere. & in ſolidum disbrigare, ſub pena[17]
„ *Novem Unciarum Auri puri* &c. qua pena &c. Cu-
„ jus pene medietas cedat Dño Patriarche qui pro
„ tempore fuerit, alia vero medietas Manumiſſis pre-
„ fatis &c. In cujus rei teſtimonium & majorem cer-
„ titudinem prefatus D. Simon ipſum Nicolaum tradi-
„ dit & aſſignavit [18] *per manum dexteram* D. Anto-
„ nio de Porta teſti predicto. volens & mandans di-
„ ctus D. Simon, ut ipſe D. Antonius vice & nomine
„ ſui prefatum Nicolaum det & offerat, quandocumque
„ voluerit & ei placuerit [19] *ſuper Altare Majoris*
„ *Eccleſie* S. Marie de Aquilegia.

Contractus venditionis, & alios plerumque Notarii noſtri veteres, ut moderni, ſub teſtimonio duorum, vel trium teſtium tantum conficiebant; ſed hic, ritu non ordinario, nec obvio, præſentes conſcriptioni hujus Manumiſſionis quindecim teſtes adnotantur; forte quia in ea de hominis agitur libertate, cujus privilegium, pretium, & nobilitas in homine omne ſuperat pretium, & privilegium. Mihi in Apogr. n. 4. adeſt Manumiſſio, facta anno 1289. 3. Decembris, deſcripta ex Notis ſæpe laudati Nibiſſii; qua a D. Wargendo q. D. Conetti

de Oſopio libertate donatur Johannes Bagran de dicto loco, præſentibus teſtibus decem & ſeptem. Indubiè talis numerus teſtium inſuetus libertatis gratia, & favore convocatus videtur.

[1] Intentio, & cauſa, propter quas plerumque ſervis libertas concedebatur, erat Religio, & Pietas in Deum, & homines; quibus jungebatur alia pia cauſa *ob remiſſionem peccatorum ſuorum, & prædeceſſorum ſuorum*, ut hic, vel aliis verbis *pro remedio animæ meæ; pro meis peccatis minuendis; ut in futurum veniam Dominus mibi præſtare dignetur; pro animæ meæ redemptione; ut ab impiorum conſortio erui merear*; ut meminit Fontaninius noſter in Opuſculo *Delle Maſnade* pag. 27. & 28. quod idem ſignificare omnes norunt.

[2] Sed in noſtra Manumiſſione alia quoque ſuperiori adjicitur cauſa, ſcilicet *propter grata ſervitia, & obſequia* a ſervo manumittendo præſtita Domino ſuo; quæ tertia cauſa erat manumittendi. Quartam cauſam arripio a Manumiſſione facta a Balardino q. D. Vvalterpertoldi de Pers anno 1365. die 3. exeunte Decembri, ſcilicet ejus menſis die 29. quæ mihi adeſt in Apogr. n. 417. Ibi namque enunciatur, manumiſſionem primum fieri *amore Dei & Beatæ Mariæ ſemper Virginis glorioſæ Matris ejus, & omnium Sanctorum, & Sanctarum*; deinde *pro anima dicti q. D. Vvalterpertoldi patris ſui*. Unde manumiſſiones quandoque factas elicimus, quaſi eleemoſynas, & erogationes pro defunctis, ut a peccatis ſolverentur, & a pœnis purgantibus liberarentur anteceſſores manumittentis. Huic quoque quintam appono, quæ fere ſola poni deberet in hujuſcemodi chartis; & eſt *pretium ſui* a ſervo Domino ſuo numeratum. Cujus rei exemplum habemus in Manumiſſione, quam ſubtus dabimus integram n. 8., qua D. Candidus de Triceſimo, *pretio* VI. *Marcharum, & dimidiæ denariorum Aquilegen. definito & recepto*, Leo-

Leonardum Coculum Fabrum de Artenea, Jacobum fratrem ejus, & Benvegnutum eorum nepotem cum omnibus ex iis deſcendentibus a ſervitio abſolvit.

[3] Nicolaus manumiſſus tantum bis Homo de Maſnata appellatur hac in charta, nullibi nuncupatur *Servus*, vel *Famulus*, ut ſæpe in aliis chartis; quaſi *Hominem de Maſnata* dicere, & *Servum*, idem ſit, idemque ſignificet; quod quidem mihi certum eſt, verum fuiſſe in noſtro Forojulio, & ex hac charta comprobatur; non enim manumittuntur, niſi ſervi. An alibi, vel in Ferrarienſi ditione eodem ſignificatu hæc vox fere accepta fuerit, videant alii.

[4] Libertate donatur Nicolaus una cum ſuis deſcendentibus tam maſculis, quam feminis, natis et naſcituris, qui de jure Domino pertinebant, manumiſſione non intercedente; hic támen non adjicitur *in perpetuum*, quod aliis in manumiſſionibus ſæpius vidimus; ſubintelligitur nempe. Et præterea liberatur *cum toto ſuo peculio, & omnibus bonis, tam præſentibus, quam futuris*; quidquid enim aquirebant ſervi dominis ſuis aquirebant; qui intuitu benignitatis, et humanitatis, et ut ſervos demererent, et fideliores, ac diligentiores redderent, uſum et fructum ab ipſis aquiſitorum illis concedebant, retento dominio, et proprietate; quam hic in manumiſſione ſervo cum libertate quoque concedit, ea ſe ſpolians, et in ipſum eam transferens. Cum vero ſervi Maſſarii peculium conſiſteret, ut vidimus, et eſſet in brutis domeſticis, et pecudibus tantum, ſervi de Maſnata peculium fuiſſe in omnibus, et de omnibus mihi perſuadeo, cum alia quoque immobilia, et agros, annuente domino, poſſideret, et haberet in peculio.

[5] *Manumiſit, & liberavit ab omni jugo, & vinculo ſervitutis*; In aliis manumiſſionibus, et in laudata Balardini de Pers dicitur, *ab omni jugo, onere, nebula,*

 ſeu

ſeu macula ſervitutis. Quod ſervitus ſit *jugum*, *vinculum*, *onus*, nemo non intelligit; et præterea quod ſit *macula*, ſcilicet homini injunctum dedecus, tritum eſt; quid vero ſit *nebula* ſervitutis, non eſt omnino obvium. Fontaninius noſter in laudato opuſculo pag. 29. opinatur, hanc fuiſſe veſtem ita appellatam, quæ ſervitutis ſignum ſervi geſtarent; forte non inconveniens opinatio, ſi veſtis hæc ſpecies propter colorem, non propter tenuitatem ita fuiſſet appellata, aut eam apud Petronium mulieres non geſtarent, vel de ſervis Romanorum, non de barbaris hic ageretur. Cum formula noſtra dicat, *nebula ſeu macula*; mihi videtur τὸ *nebula* idem plane importare in propoſito, ac τὸ *macula*; ut enim maculam inquinare, et deturpare corpus, vel veſtem, vel aliud ſcimus, ita nebulam obſcurare, et obtenebrare diem videmus; quibus translatis nihil aliud ſignificari a ſcribentibus voluiſſe, mihi videtur, niſi inquinatum, et obtenebratum hominis ſtatum, et conditionem originalem a ſervitute. Unde Plautus in Pœnulo Act. I. ſcen. II. verſ. 1. 62. hac voce *nebula* eſt uſus, ut rem viliſſimam deſignaret.

Cujus ego vel Nebulæ cyatho ſeptem noćteis non emam.

[6] *Libertatem puram ſecundum uſum, & conſuetudinem Romanæ Civitatis, & Eccleſiæ Aquilegen. dedit & tradidit*. Ex hiſce verbis neſcio quid involutum, immo rationi non conſonum, et veritati contrarium, mihi ſubolere videtur. Quomodo enim libertatem Romanorum Civium, cum libertate ſubjectorum Aquilejenſis Eccleſiæ copulari poſſit, non video. Norunt enim omnes, quæ fuerit Romanorum Civium libertas, qui vere, et pure liberi pleno ſui dominio gaudebant non ſolum, ſed aliis quoque liberis populis jura dabant, qui eorum juſſis, et præceptis parere pro honore ſingulari, et prærogativa ducebant. Norunt omnes, quanta in

ta in Italiæ urbibus primum, deinde in ceteris orbis Romani Civitatibus fuerit cupiditas, et deſiderium Romanæ Civitatis, ideſt libertatis, adipiſcendæ; quamvis ipſæ ſua libertate, ſuiſque honoribus, Romanis annuentibus, libere fruerentur. Neſcio quid igitur erat amplius in libertate Romana, nec quæquam libertas, cujuſcumque fuerit, Romanæ erat comparanda; multo minus igitur ea, qua ſubditi Aquilejenſis Eccleſiæ erant præditi. Sphalma fuit igitur hujus noſtræ Manumiſſionis, vel Formulæ, qua Notarii noſtri, ſeu Tabelliones in hujuſmodi inſtrumentis conficiendis utebantur; vel error, et ignorantia Notarii ipſius, qui, quæ non novit, an forent ſimilia, ut ſimilia perperam ſub una dictione conjunxit. Et equidem rem ita fuiſſe, nos certos reddit Manumiſſio, quam hic exhibere operæ pretium exiſtimo; cum non ſolum ex ea, quæ Formula, et ritus tunc fuerit libertatis Romanæ a domino ſervis ſuis concedendæ; verum etiam quæ perſonæ, honeſtiores etiam exercentes profeſſiones, ſub ſervitutis jugo premerentur, depræhendamus. Ipſa Apographa in meis Mſ. cubat tomo XVIII. pag. 52. b.

D. Rizzardus q. D. Mainardi Comitis de Prata manumittit ſervum D. Martinum juriſperitum, ei dans libertatem Civis Romani. Anno 1384.

„ Anno Domini MCCCLXXXIIII. Ind. Die &c.
„ Prate. Pñs &c. Nob. Vir D. Rizardus q. nob. Viri
„ D. Meynardi Comitis de Prata aſſerens & dicens,
„ *Sapientem Virum D. Martinum juriſperitum filium*
„ *q. Bernardi q. Antonelli de Prata ſervum ſuum eſſe*,
„ & vinculo ſervitutis aſtrictum. Volens & cupiens,
„ ſic & in quantum dictus D. Martinus nexu *Servi-*
„ *tutis*, vel *Aſcrititiæ conditionis*, ſeu alio quoquo
„ modo foret aliqualiter obnoxius &c. *Intuitu pietatis*
„ & miſericordie ſibi facere gratiam ſpecialem, per
„ ſe &c. dedit conceſſit & tradidit mihi Notario reci-

 pienti

nus, Ea etenim erat eleemoſynæ ſpecies, ſeu Donatio pia, quæ firma & permanens ſemper ſtare debet, nec ullo modo revocari poteſt; ideo titulo donationis inter vivos perficiebatur, quæ ex ſua natura eſt irrevocabilis, nec unquam aliquo modo, vel ingenio reſcindenda; immo nec vitio ingratitudinis, quæ donationes reliquas plerumque infirmat, ut monent juriſconſulti.

[8] *Donans &c. Sanctæ Aquilegen. Eccleſiæ eundem Nicolaum &c.* Et equidem Donatio irrevocabilis, æternaque eſſe debebat, quia facta Eccleſiæ, ideſt Deo, a quo piaculum eſt repetere, quod ſemel datum, & donatum eſt. Hic erat uſitatior modus, & formula, Forojulienſium propria, ſervos manumittendi; Cum alibi offerebantur, & donabantur ſervi Eccleſiis, & piis locis, tam a principibus viris, quam a privatis (ut paſſim videre eſt in chartis editis) ut ſervi tamen, & ut ea in ſervitute, qua erant antea primis Dominis adſtricti, concedebantur ad eandem locis illis piis ſervitutem ſerviendam. Oblatio autem, & donatio, quæ noſtra in provincia Eccleſiæ Aquilejenſi fiebat, erat revera Manumiſſio; nam hac donatione ſervi libertatem adipiſcebantur, ut vidimus; immo hic erat noſtrorum proprius, & frequens mos, & conſuetudo ſuos ſervos libertate donandi; quod optime etiam noſcitur ex Manumiſſione, quæ mihi adeſt in Apogr.n. 865. quæ aliis etiam ex cauſis digna mihi videtur, ut edatur.

D. Candidus de Triceſimo, pretio numerato a Leonardo Coculo Fabro de Artenea, fratre ejus, & nepote, eos manumittit donans Eccleſiæ Majori Aquilejenſi. Anno 1288.

„ Anno Domini MCCLXXXVIII. Ind. I. Die VI.
„ intrante Junio. Pñs Popone Calcifice de Civitate
„ Auſtria &c. Cum Homines ſive Feminas ſibi ſubje-
„ ctas &c. Ideoque in Dei nomine D.Candidus de Tri-
„ ceſimo pro ſe & Caſata ſua &c. *precio* VI. *Marcha-*

„ *rum & dimidie denarior. Aquilegen. definito & recepto &c.* & in remedio anime ſue & omnium ſuorum parentum, Leonardum dictum Coculum Fabrum de Artenea, & Jacobum fratrem ejus, & Benvegnutum Nepotem eorum filium q. Stephani fratris eorum &c. *a ſervitio abſolvit*. Et omnes heredes ſuos ex eis amodo deſcendentes, & ab omni jugo ſervitutis abſolutis atque relaxatis penitus dimiſit, dantes & largientes eiſdem in perpetuum meram & largiſſimam abſolutionem, ita videlicet ut amodo ſine alio ſervitutis obſtaculo ſint integre abſoluti, *& de Eccleſia Aquilegie. & Civitate*. & abſolutione uti poſſint, *tanquam ex parentibus Aquilegen. Eccleſie nati eſſent*, dando, vendendo &c. & omnia exercendo, que quilibet Homo Aquilegie poteſt agere &c. Et dimiſit dictus D. Candidus totum *Peculium &c.* Promiſit &c. *ſub nomine pene Quinq. Marcharum puri auri &c.* Ad hæc prelibatus D. Candidus, Leonardum Coculum &c. in manus Dominici Bujati nominati *dedit* atque *inveſtivit*, *ut eos vice Aquilegen. Eccleſie Dno Pathe. vel ſuper Altare Aquilegen. Eccleſie traderet, & preſentaret*. Ita quod nec Domus Aquilegen. nec Patha. aliquis, nec Proviſores ſui valeant extra manum Aquilegen. Eccleſie amplius inveſtire, nec alienare, ſed ſemper Aquilegen. Eccleſie ſubjacere teneantur, ipſi & ſui heredes.

„ Actum in Longeriaco in Eccleſia S. Danielis.

„ Die x. exeunte Junio. Pñs Dñis Simone Epiſcopo Emonen. Bernardo Decano Civitaten. Martino Brugno Gaſtaldione Carnee. Leonarducio de Civitate Gaſtaldione Mancani. Magiſtro Popone Calcifice de Civitate. Dominicus Bujanus de Artenea. *nuncius D. Candidi de Triceſimo. ad preſentandum* Leonardum dictum Coculum Fabrum de Artenea. Jaco-

„ Jacobum fratrem ejus, & Benvegnutum nepotem
„ ipſorum, & omnes heredes ipſorum, & ab ipſis deſcendentibus *in manu Ven. D. Raymundi Aquil. Eccleſie Pathe. vel ſuper Altare dicte Eccleſie. Vice & loco Domus Aquilegen.* ut ſcriptum eſt manu mei Not. dictos Dominicum nominatum Leonardum, & Jacobum fratres pro omnibus aliis abſentibus in manus nominati *D. R. Pathe. Aquil.* preſentavit & conſegnavit *vice Domus Aquilegen.* Qui dictos recepit, & eos *ad obediendum Domui Aquilegie jurare fecit*. Qui juraverunt eidem Dominio obedire. Actum Civitate Auſtrie in Salla Palatii Pathalis.

Ex Notis Bonihomi, vel Bonihominis Not. Glemonæ &c.

[10] Et præterea, ut plene ſe donaſſe, & integre ſciant, nec ſibi aliquid juris vel minimi in manumiſſo, & ejus deſcendentibus reſervaſſe, aperte, et expreſſe profitetur Manumittens, ſe manumiſſos eximere nunc, et in perpetuum, et dimittere ab ejus poteſtate, et Dominio.

[11] Et ad particulares ſervorum obligationes deſcendens, amplius profitetur, ſe illum liberare *ab omni conditione, & gravamine, ac etiam Operarum impoſitione*. A quibus vero *Operis* eum liberet, ſubjungit, eas dividendo, in *Obſequiales*, quæ conſiſtunt in faciendo, nempe aſſurgendo, ſalutando, et ſimilibus; et in non faciendo, ut puta de non vocando in jus, non petita venia, et alia; Et in *artificiales, & fabriles*, quæ omnes conſiſtunt in faciendo ea, quæ ruri, vel domi dominus juſſerit, quæque late ita extenduntur, ut unaquæque ars, manuale ſtudium, et labor. Hinc quomodo, et qualiter dominis ſuis ſervi noſtri fuerint obligati, demonſtratur.

[12] Aliud præterea ſervorum debitum hic memoratur; adſtricti erant enim ad reddendam *rationem Admini-*

miniſtrationis earum rerum, quæ a domino ipſorum fidei erant commiſſæ, ipſiſque traditæ, ut eas in dominorum utilitatem, et ſuam meliorare deberent; unde benemerentes ſervi aliquando libertate donabantur.

[13] Et eis *jura Patronatus* remittebantur in perpetuum; quæ *conſiſtebant*, *tam in faciendo*, *quam in non faciendo*, quicquid ipſis imperabat, vel vetabat Dominus.

[14] Ut exinde ab omnibus ſervitutis gravaminibus liberati omnia ſuæ libito voluntatis agere poſſent, ſcilicet *contrahere, paciſci teſtari, & quodcumque genus ultimæ voluntatis condere*, ſine domini anterioris contradictione aliqua; & quin ab ejus voluntate, & nutu in aliquo penderent.

Si enim quandoque contractibus, & inſtrumentorum ſtipulationibus ſervi, in ſua conditione poſiti, manus dabant, toti conſenſui, & voluntati Dominorum ſuorum innixi id peragebant; ut ex charta Dationis, vel Locationis ad cenſum Aquilejenſem manu laudati Nibiſſii, mihi in Apogr. n. 880. quam, ut etiam ritus hic, & formula contractuum, a Forojulienſibus ſervis patratorum, palam fiat, in lucem proferimus:

„ Anno Dñi MCCLXXXXI. Ind. IIII. Die XII.
„ exeunte Mayo. Pñs Cavuſio Safantina Calcifice de
„ Glemona. Artuico dicto Chacall. de Zegliaco. Pe-
„ legrino filio ſuo. Martino &c. teſtibus &c. *Nicolaus*
„ filius q. *Rachagnini de Prambergo voluntate. pre-*
„ *ſentia. & conſenſu ſui Domini Pauli Cirioli de Gle-*
„ *mona. precio unius Marche &* XX. *denarior. Aqui-*
„ *legen.* diffinito ſoluto atque in integrum recepto per
„ ſe &c. *jure Aquilegen. Cenſus. inveſtivit. tradidit.*
„ *ac in perpetuum dedit Prando* Fabro de Longergia-
„ co &c. *unum ſuum Campum Terre arratorie*. cum om-
„ nibus ſibi expectantibus circumquaque ſitum in Ma-
„ gnano in Valle. *firmat in via antiqua &c.* Ad haben-
dum

„ dum &c. *ſine contradictione dicti D. Pauli. Nicolai*
„ *pred. vel &c.* ſalvo tamen ipſo jure & conſuetudine
„ *Cenſus Aquilegen.* & ſolvendo annuatim in Nativi-
„ tate Dñi dictus Prandus &c. VII. *Veron. parvulos in*
„ *Alluminacione Eccleſie S. Marie de Artenea pro a-*
„ *nima q. D. Ceninoti de Trambergo.* Inſuper *dictus*
„ *Paulus & Nicolaus in ſolidum* ſtipulatione ſolepni
„ promiſerunt &c. ſub pena dupli dicte bonitatis Ter-
„ re &c. Nuncius Tenute Artuicus dictus.
„ Actum Glemone ante domum Nicolai Supagan.

[15] Et denique ea agere, quæ *quilibet ſui juris, ſeu Homo Aquilegenſis Eccleſie facere poteſt.* Homines hi Aquilejenſis Eccleſiæ nuncupabantur quoque *Dieſmanni*; ut mihi videtur a Teutonicis vocabulis *Dieſt, & Mann*, quæ ſignificant *ſervitii Hominem, vel Homo ſervitio, vel Miniſterio alicujus addictus.* Unde Dieſmanni appellabantur Eccleſiæ Aquilejenſis, cui ſervi manumiſſione offerebantur, & donabantur; & ita illi Eccleſiæ in ſubjectionem, ſervitium, ac miniſterium affigebantur, ut nemo ab ejus Dominio, poteſtate, & poſſeſſione, nec per Feudum, nec per quamcumque aliam alienationem ulla ratione eos avellere poterat. Et equidem hujus vocabuli *Dieſmanni* ſignificationem, quam ei ex Teutonico dedimus, mirifice confirmat Manumiſſio, peracta anno 1259. 8. Aprilis a D. Gabriele de Pinzano Andreæ ſervi ſui, quæ ex Protocollo Anonymi Notarii Glemonenſis legitur in meis Apogr. n. 877. ubi hæc habemus: *ut amodo ſit liber, & liberam habeat facultatem eundi. placitandi. vendendi. ſeque defendendi. contrahendi. adque omnia faciendi, ut Miniſterialis Domus Aquilegie.* unde plane patet, idem ſonare Dieſmannum, ac Miniſterialem Domus Aquilejæ, ſcilicet Hominem ejus Domus, ſive Eccleſiæ ſervitio, vel miniſterio dicatum. Quia autem hujuſcemodi ſervos, priuſquam eos offerent, & donarent, a qua-

a quacumque ſervitute, qua dominis tenebantur, manumiſſione erant liberati, & liberi erant vere; ideo Dieſmanni iſtius Eccleſiæ noſtræ, ideſt Homines ejus ſervitio, vel Miniſterio dicati, vocantur *Dieſmanni liberi* quandoque in Manumiſſionibus, & *in ſua poteſtate* poſiti. Cujus appellationis exemplum habemus in Manumiſſione mihi in Apogr. n. 879. quam propter alia etiam obſervatione digna hic edendam decrevi.

D. Lappus Amidei de Florentia habitator Glemonæ manumittit Pellegrinam, & alios ſuos ſervos, eos faciens Dieſmannos Aquilejen. Eccleſiæ. Anno 1324.

„ Anno Dñi Mcccxxiiii. Ind. vii. Die xxii.
„ intrante Octobri. Pñs D. Hermanno Not. Lamberto
„ de Amideis de Florentia. & Petro filio Zuzii de
„ s. Geminiano de Florentia. Nicolao Rubini. Jacobo
„ filio Conradi de Macellis &c. Dignum &c.
„ D. Lappus Amidey de Florentia habitator Glemone
„ pro ſe &c. dedit &c. & inveſtivit. *& ab omni jugo*
„ *ſervitutis in perpetuum liberavit Pellegrinam uxo-*
„ *rem Wecili de Trava de Carnea &c.* & ejus here-
„ des &c. Ita quod in perpetuum dicta Pellegrina &
„ ſui heredes &c. poſſit & valeat. *tanquam liber*. &
„ ab omni jugo ſervitutis exemptus ire. ſtare &c. e-
„ mere. vendere &c. Dans predictus D. Lappus pro
„ ſe &c. & conſtituens ſuum Procuratorem & *Nun-*
„ *cium* ſpecialem Jacobum q. Conradi de Macellis &c.
„ *ad dandum & offerendum ſuper Altare S. Marie de*
„ *Aquilegia* dictam Pellegrinam &c. Ita tamen quod
„ aliquo tempore aliquis Patha &c. non poſſit ipſam
„ P. &c. *moleſtare vel petere in aliquo*. Sed tanquam
„ alius *Dieſmanus Eccleſiæ Aquilegenſis*. *qui eſſet liber*
„ *in ſua poteſtate*. Promittens d. D. Lappus &c. in
„ pena x. March. puri auri. &c.

„ Actum Glemone ante ſtationem dicti D. Lappi.

Ex

Ex Notis Franciſci Sibelli Not. Glemonæ &c.

Non eſt obiter prætereundum, quod hac in Manumiſſione, quamvis Dieſmanni vocabulum, hominem certo ſervitio, & miniſterio obligatum demonſtret ex verbi Teutonici vi; nihilominus adijciatur conditio, ſeu pactum, vel inhibitio, quod a nemine, neque ab ipſo Patha. aliquo tempore Dieſmannos hoſce *moleſtare vel in aliquo petere poſſit*, ſed ſint *liberi in ſua poteſtate*; quod equidem ipſi vocabulo repugnare videtur. Sed intelligendum cenſeo, quod non moleſtentur, neque in alio petantur manumiſſi, ſecundum exactam ſervitutem, vel ſervitutis anteacta ratione habita; ſubjectionem autem, & miniſterium præſtent, quo quiſque liber, & nobilis quoque Patriarchæ tenebatur, & ejus Eccleſiæ, ut Dominæ hujus provinciæ, & imperanti.

Adhuc vero horum Dieſmannorum umbra in Montana, ſive Alpina noſtri Ducatus parte, quæ Carnea appellatur, mihi vigere videtur; ibi enim quidam Familiarum numerus, hic, vel illic commorans, quæ hoc nomine Dieſmannorum nuncupantur, forte ex his antiquitus manumiſſis, & Dieſmannis Aquilejenſis Eccleſiæ declaratis provenientes. Hæ quidem ſe aliquibus prærogativis præditas gloriantur, & quaſi nobilitate, certe libertate ſupra ceteras præcipua; parere enim tranſacto tempore Communitati Tulmetii recuſarunt; cujus juriſdictioni, tam civili, quam, ut ajunt, criminali omnis hæc Regio ex Principum conceſſione ſubeſſe debet; præſeferentes, ſe nulli alii ſubditos eſſe, aut teneri, niſi Eccleſiæ Aquilejenſi, aut ejus Viceſgerenti, cui, ut vidimus, ſubeſſe hos Dieſmannos manumiſſos tantum, & unice debere, compertum eſt, ex vi harum Manumiſſionum. Quibus autem prærogativis Dieſmanni iſti a ceteris Carneæ regionis familiis, & hominibus liberis diſtinguerentur, ignoro; nec amplius ſcio, quam quod iſti Taleas quondam, ut ceteri

Pa-

Patriæ Feudatarii, ſolvebant; ſicuti præſtitere omnes ſimul, ut unum Corpus, anno 1414. pro Oratoribus, qui ad Concilium Conſtantiæ ab hac Patria miſſi fuere, Virgilio de Virgiliis ad harum Talearum exactionem deputato. Et præterea, quod aliquas agri particulas Feudi nomine ſinguli poſſident, quæ paſſim inter ipſos comprovinciales alienantur (quod eas ſapere Feudi Minoris naturam demonſtrat) ex quibus alienationibus quiſque vel privilegio, & prærogativis Dieſmanni ſpoliatur, vel induitur. Niſi vero me conjectura fallit, Feudatarii iſti Dieſmanni erant ex illis Manumiſſis, quibus ſtatim poſt manumiſſionem, vel in ipſa manumiſſione immobilia ad Feudum *Habitantiæ* concedebantur, vel a domino manumittente, vel a Patha. vel ab alio; ut in Manumiſſione Cardinalis Pilei de Prata vidimus, & in Manumiſſione, quam nunc profero, palam fit. Ipſa legitur in meis Apogr. n. 874. ex autographo manu Johannis de Lupico Notarii, quod poſſidet humaniſſimus, & amiciſſimus Abbas Binius, deſcripta.

D. Aſquinus de Varmo reſſignat Gontardum cum aliis ſuis ſervis de Maſnata Gregorio Pathæ. Aquil. eos manumittens, eiſque Terras ad rectum Feudum Habitantiæ concedens. An.1269.

„ MCCLXVIIII. XII. Ind. Apud Civitatem in
„ Camera Patriarchali Die VII. exeunte Januario.
„ Pñs D. Wenz. Abbate Belliniensi. D. Johanne Ar-
„ chidiacono Aquilegen. D. Matthia de Rivarotta.
„ Marquardo de Regonia fratre ejus. & Rapotto de
„ Pulcinia teſtibus &c. *D. Aſquinus de Varmo*
„ *conſtitutus in preſentia Ven. Patris D. Gregorii Dei*
„ *Gra S. Aquilegen. Sedis Pathe. &c. ſe &c.* pro ani-
„ me ſue ac parentum ſuorum remedio, libere mere
„ & pure, dedit *& aſſignavit Gontardum preſentem fi-*
„ *lium q. Adalpretti de Varmo*, & Mariam uxorem
„ ejus

„ ejus & filios ipſorum, ſcilicet Franciſcum filium,
„ & Indiam filiam, & Conradum baſtardum filium
„ ipſius Gontardi abſentes tanquam preſentes, *ſuos*
„ *ſervos & homines de Maſnata. In manibus Ven. pa-*
„ *tris D. Gregorii D. G. Pathe. Aquilegen. recipientes*
„ *nomine & vice Aquilegen. Eccleſie*, Abſolvens eos
„ per ſe &c. ab omni vinculo ſervitutis &c. Et dimit-
„ tens eidem Gontardo &c. omnia ſua mobilia & im-
„ mobilia &c. *Preterea decem & octo Campos Terre*
„ *ſitos juxta Varmum, octo Decimales in villa de Var-*
„ *mo ſitos, & Nemus quoddam ſitum juxta Villam de*
„ *Varmo prope Aquam, que dicitur Gran*. Quos Cam-
„ pos & Decimales & quod Nemus ſupradictus D. Aſ-
„ quinus per ſe &c. ipſi Gontardo &c. *ad rectum Feu-*
„ *dum Habitantie juxta conſuetudinem Terre Forijulii*
„ *de ſua tenuta manu propria inveſtivit*. Ita ut ex nunc
„ in perpetuum predicti Gontardus uxor & filii & eo-
„ rum poſteritas eſſe debeant *Caſe Dei Aquilegenſis*.
„ *Et nemini perſone Patriarchali, qui fuerint pro tem-*
„ *pore, & ipſi Caſe Dei Aquilegenſi teneantur in ali-*
„ *quo reſpondere*.

Hic ex Formula Manumiſſionis, & verborum vi revera liberum Dieſmannum plane deprehendimus, quamvis expreſſe hoc nomine in charta non compelletur; offertur enim, & per manus Patriarchæ donatur Eccleſiæ, & Domui Aquilegenſi, ita quod nullus Patriarcharum, nec ipſa Caſa Dei Aquilegenſis ab ipſo nomine ſervitii aliquid petere poſſit, nec libertus ipſis in aliquo ſervitio reſpondere teneatur. Quæ hic dicitur *Caſa Dei*, aliis in Manumiſſionibus *Domus Dei* vocatur, quæ idem ſignificat, ſcilicet Eccleſiam Dei Aquilejenſem. Ex hac *Domus* appellatione, quæ paſſim in chartis Eccleſiæ inditur, originem mihi videtur duxiſſe Italicum noſtrum verbum *Domo*, quo vulgari, & uſitato ſermone Eccleſiam Majorem, in Civitate, vel oppi-

oppido exiſtentem demonſtrare ſolemus; nec inconveniens vocis origo.

[16] Cum manumittentes ad ea obſervanda, quæ in manumiſſione ſpoponderant, plerumque ſola bonorum ſuorum obligatione eſſent contenti, plus libertis ad ſui ſecuritatem, etiam non petentibus, Manumiſſor noſter tribuere voluit, & inſuper facere, jusjurandum præſtans ſolemne; quod liberationem, & donationem illorum factam Eccleſiæ Aquilejenſi firmam & ratam non obſervabit ſolum, ſed etiam defendet.

[17] Et id ſub pœna *Novem unciarum puri auri, cujus pœnæ medietas cedat D. Pathæ, aliam medietatem manumiſſis ſolvat*. Neſcio quid obſervatione dignum numerus, & pondus hujus pœnæ mihi innuere videtur. Alibi vidimus, in pœnis hiſce imponendis antiquitus Francos, & noſtros Forojulienſes tot auri, vel argenti pondera, ſæpius quam tot nummos ponere conſueviſſe. Hoc idem hic factitatum conſpicimus; uncia etenim ponderis, non nummi proprium eſt vocabulum. Sed cum aliis in manumiſſionibus pœna ſit plerumque Librarum auri, non unciarum, & in ea, quam ſubtus producemus, pro manutentione libertatis unius tantum Libertæ, ſibi manumiſſor pœnam xx. Librarum auri imponat; mirari ſubit, hic Novem tantum auri unciarum pœnam, modicam & parvam, imponi; Nec rationem, cur id ita factum, intelligo. Hariolando tamen dicerem, novem hic fuiſſe ſervos libertate donatos, quibus forte pretium erat Novem Unciarum auri, in ſingula capita unciæ pretio conſtituto; ideoque eorum valoris pœna eſt impoſita, ut tantumdem Manumiſſor perderet contrafaciens, quantum ſervi ipſi in ſervitutem revocati perdidiſſent, perſonarum ſuarum ſcilicet æſtimationem. Si conjectura hæc non arridet, veriſimiliorem, & convenientiorem proferenti manus dabo.

Nuncius

[18] Nuncius *Tenutæ* datur teſtis D. Antonius de Porta, qui Manumiſſum, vel Manumiſſos ad Altare Aquilejenſis Eccleſiæ offerat. Nec eſt obvium in hujuſcemodi noſtris chartis, quod Manumiſſor reſſignet, ſeu tradat Nuncio Libertum *per manum dexteram*. Sed cum ſervus, quando libertate donatur, dicatur e *manu miſſus* a Domino; id actum a noſtro Manumiſſore intelligimus per manum dexteram, cum Nuncio libertum Altari offerendum traderet, ad implendum ritum & morem ea manu in traditione utendi; cum ipſa plerumque fauſti, feliciſque ominis habeatur.

[19] Offerat autem, *quandocumque voluerit*, vel Nuncius, vel Libertus *ſuper Altare majoris Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Aquilegia*. Oblatio hæc ſuper Altare non uno, eodemque modo ſemper fiebat; aliquando namque (ut factum puto in hac noſtra Manumiſſione) Libertus per manum, vel a Manumiſſore, vel ab ejus Nuncio, ut plerumque, ducebatur ad Altare Aquilejenſe, & ibi ſuper Altare ipſum eum ſiſtebat; indeque Dieſmannus dictæ Eccleſiæ, plene liber, abibat. Quod depræhendimus ex charta oblationis, quam damus; in qua expreſſe affirmatur, præter oblationem, *Poſitionem* actu fuiſſe factam Manumiſſi ſuper Altare a Nuncio dato a Manumiſſore. Mihi adeſt in Apogr. n. 134. illuc relata ex Jacobo Magiſtri Pellegrini Notarii Glemonæ.

Oblatio Altari Sabbatæ de Tulmetio, manumiſſæ a D. Gerardo de Caſtello, facta per D. Matthæum de Brazaco Nuncium datum an. 1322.

„ Anno Dñi Mcccxxii. Ind. v. Die xiii. intrante
„ Julio. Pñs D. Ambroſino Manſionario Eccleſiæ
„ S. Marie majoris Aquilegen. D. Africano. D. Fe-
„ derico. & Henrico filio D. Varneri de Caſtellerio.
„ Galvano de Carvaco teſtibus &c. Cum nob. vir

„ D. Gerardus q. D. Federici de Caſtello *manumi-*
„ *ſiſſet &c* Sabatam filiam Petri dicti Ferrarii de Tu-
„ metio &c. & dediſſet D. Mattheum de Brazaco *nun-*
„ *cium* ad preſentandum oferendum dandum *ponendum*
„ *dictam Sabatam ſuper Altari S. Marie Virg. majoris*
„ *Eccleſie Aquilegen. &c.* Prefatus D. Mattheus pre-
„ ſentavit obtulit & *poſuit dictam Sabatam &c. ſuper*
„ *dicto Altari Eccleſie prelibate*, in ſignum habite
„ poſſeſſionis, ut mos & conſuetudo eſt offerendi dan-
„ di & *ponendi manumiſſos*, *tam maſculos quam femi-*
„ *nas*, *ſuper dicto Altari S. Marie &c.* Actum Aqui-
„ legie in Eccleſia majori ante dictum Altare.

Aliquando a Nuncio ductum Libertum ad Altare, ipſum per manum tenente, ter *circum circa* ipſum Altare eum ambulare faciebat; & poſt hæc dato Liberto ſacramento de *fidelitate*, & *legalitate* obſervanda D. Patriarchæ, & per eum Eccleſiæ Aquilejenſi, ipſum arbitrio ſuo relinquebat, & libertati. Cujus ritus, & cærimoniæ exemplum habemus in charta manu Jacobi q. Ture Notarii Utinenſis, mihi in Apogr. n. 569. quam, ommiſſo manumisſionis inſtrumento, ſubjungo.

Oblatio Leonardi de Villalta manumiſſi, facta a D. Gambino de Rodan. Canonico Aquilejen. cum trina circumductione circa Altare. Anno 1351.

„ Anno Doñi MCCCLI. Ind. IIII. Die XIIII.
„ menſis Aprilis. In Eccleſia Aquilegen. Pñs presbi-
„ tero Nicoluſſio Plebano Aquilegen. Lancellotto de
„ Cucanea Manſionario Aquil. Johanne q. Lanfran-
„ chini de Utino. & al. Ven. Vir *D. Gambinus de*
„ *Rodan.* Canonicus Aquilegen. *nomine ac vice Aqui-*
„ *legen. eccleſie predicte obtulit* Leonardum q. Laza-
„ rini de Villalta *ſuper Altare* S. Marie Aquilegen.

Qui

„ Qui Leonardus ibidem produxit quodam publicum
„ inſtũm, faciens fidem de Manumiſſione de eo facta
„ tenoris .&c. Quibus ſic factis dictus D. Gambinus
„ duxit eundem Leonardum *ter per manum circum*
„ *circha dictum Altare*, *delato* etiam ſibi per me No-
„ tarium *ſacramento de obſervando fidelitatem & lega-*
„ *litatem D. Patbe*, *& eccleſie Aquilegenſi*, ut moris
„ eſt, cetera faciendo in ſignum libertatis & Manu-
„ miſſionis &c.

Aliquando a Manumiſſore ipſo ducebatur Aquilejam ad Altare Libertus, ibique, in eccleſia ſuæ libertatis charta conſcripta a Notario, offerebatur Altari. Ubi libertus, præſtito fidelitatis Eccleſiæ illi ſervandæ ſacramento, liber dimiſſus unum ex ſuis Denariis ſuper Altare pro oblatione imponebat in ſignum libertatis; & exinde ſolus abibat, quo voluntas ejus ferebat. Etiam hujus Cærimoniæ, & Formulæ exemplum habetur in Manumiſſione in Notis ſupralaudati Notarii Jacobi q. Ture; in meis Apogr.n.570.

Conſtantinus filius q. Federici de Caſtilliro manumittit Martinum de Ronches ſervum ſuum de Maſnata, eumque offert ſuper Altare Aquil. Anno 1351.

„ Anno Dñi MCCCLI. Ind. IIII. Die XVII.
„ Novembris. In Eccleſia Aquilegen. prope Altare
„ S. Marie Aquil. Pñs Leonardo filio Minii Clerico,
„ presbitero Johanne de Pergamo, prebendatis in
„ dicta Eccleſia, Franciſco q. Sarazeni Not. de Aqui-
„ legia. & al. Conſtantinus filius q. Federici de Ca-
„ ſtilirio habitans Budrii nomine dicti ſui patris &c.
„ tamquam Nuncius &c. *obtulit Martinum* q. Vin-
„ centii de Ronches juxta Palmatam, olim ipſorum
„ *Hominem de Maſnata*, *quem manumiſit idem q. Fe-*
„ *dericus*, *& libere eum donavit Eccleſiæ S. Marie*
„ *majoris Aquilegie*, ſuper Altare S. Marie majoris

„ Aquilegen. & libere eum donavit eidem Eccleſie
„ cum omnibus &c. Et quod amodo nec D. Patha,
„ nec Capitulum, vel &c. qui pro tempore eſſent
„ Rectores Aquilegen. Eccleſie poſſint, vel debeant
„ eundem in dicto ſervitutis honere ſubjugare. *Qui*
„ *Martinus percepto debite Fidelitatis Sacramento in*
„ *ſignum libertatis ſuper dicto Altari obtulit atque di-*
„ *miſit unum Denarium novum monete Aquilegen.* At-
„ que alia faciens, prout in talibus eſt fieri conſue-
„ tum.

Quamvis autem hæ manumiſſiones in eccleſia peractæ aliquid habeant ritus, & cærimoniæ peculiaris huic Provinciæ, ut obſervavimus; nihilominus tamen hanc manumiſſionis ſpeciem originem antiquiſſimam habuiſſe ſaltem a Langobardis, certiores nos reddit Lex a Rothari rege ſancita, quæ eſt v. Tit. XXXIX. lib. II. Leg. Langob. ubi hæc leguntur: *Si quis ſervum ſuum, aut ancillam in eccleſia circa altare amodo liberum, vel liberam dimiſerit; ſic ei maneat libertas, ſicut illi, qui Frulfreal in quarta manu traditus, & Amond factus eſt. Fulfreal*, liber ſignificat, *Amond*, *vel Amund*, extraneus. Nam mores hi ſervos libertate donandi, plerumque a barbaris fluxere Langobardis, & aliis, qui pene totam occupaverant Italiam; ſed quidam ex his moribus in ſua prima origine perſeverantes, ſicut in Langobardorum legibus præcipitur, pure, & ſimpliciter ita peragebantur. Alii vero alterationem, ut ita dicam, paſſi, aliquibus circumſtantiis adjunctis, vel aliquibus demptis, morem proprium illius, vel alterius provinciæ, vel regionis perficiebant; quod ſupra ſatis perſpeximus. Unam etiam ex his manumiſſionibus, quæ originis Langobardæ morem aliquantulum immutatum ſervat, adjiciamus; quæ tamen paſſa eſt aliquid variationis, adjecto peculiari ritu. Ea eſt Manumiſſio in quartam manum peracta,

.ɑa, de qua hæc habet idem rex Rotharis in Leg. 1. Tit. XXXIX. lib. II. citato: *Si quis ſervum ſuum proprium, aut ancillam ſuam liberam dimittere voluerit; ſit illi licentia, qualiter ei placuerit. Nam qui Fulfreal, & a ſe extraneum, ideſt Amond facere voluerit, ſic debeat facere. Tradat eum prius in manus hominis liberi; & per Garathinx* (ſcilicet donationem irrevocabilem) *ipſum confirmet: & ille ſecundus tradat eum in manus tertii hominis eo modo*: *& tertius tradat eum in quarti, & ipſe quartus ducat eum in quadrivium, & thingat in gaudia* (ideſt donet ſub vadimonio) *& Giſiles* (ideſt obſides, vades) *teſtes ſint, & dicant ſic: de quatuor viis ubi volueris ambulare, liberam habeas poteſtatem. Si sic factus fuerit tunc Amond, ei manebit certa libertas; & poſtea nullam repetitionem patronus adverſus ipſum habeat, nec poteſtatem requirendi.* Hæc, quam producimus, omnia ea habet, quæ lex præcipit; ſed pro Garathinx, ſive pro Donatione, in ea conceditur ſerva pro Feudo, & in Feudum in primam, & ceteras manus, & a quarta libera dimittitur. Eam ex Protocollo Nibiſſii laudati deſcripſi, & adeſt in meis Apogr. n. 3.

D. Leonardus de Legio manumittit in quartam manum ad Feudum Dñam Vintam de Marutio Anno 1279.

„ Anno Dñi MCCLXXVIIII. Ind. VII. Die VIII.
„ intrante Januario. Pñs D. Luviſino de S. Daniele.
„ Bruſavilla de Zegliaco. D. Ottolino de Triceſimo.
„ Pelegrino Petuli de Glemona. Stefano Rizoto de
„ Artenea teſt. *D. Leonardus* dictus Franculinus de
„ Legio *refutavit*, ac dedit omne jus, omnemque a-
„ ctionem & rationem &c. quod vel quam habet *in*
„ *Dna Vinta* de Murutio, *Ulvino* de Vendoyo,
„ quam ipſe D. Leonardus confeſſus fuit *ſe habere in*
„ *Feudo ab ipſo Ulvino*, & idem Ulvinus hoc peracto,
dedit

„ dedit & refutavit ipſam Dñam Vintam *D. Detemaro*
„ *de Vendoyo* , quam dictus Ulvinus ab ipſo *D. Detemaro* habebat in Feudo , ut confeſſus fuit ibidem ,
„ hiis autem peractis dictus *D. Detemarus* per ſe &
„ heredes ſuos , & ejus Caſatam *pro remedio anime*
„ *ſue & parentum ejus liberam abſolvit dictam Dnam*
„ *Vintam &c.* tanquam *nati eſſent ex libero patre , &*
„ *matre &c.* & omnia bona que habet vel ſperat habere abſolvit ſibi , & dimiſit liberaliter &c. promiſit dictus Detemarus &c. *in pena* xx. *Marcharum*
„ *puri auri* , cui lis movebitur &c.

„ Actum ante portam Caſtri Prampergi .

Quomodo allata Langobardorum Lex præcipit , ut mutua donatione ſerva liberanda in quartam manum tranſiret ; quia plerumque , ut vidimus , per donationem Manumiſſiones celebrabantur ; Ita in hac mutua datione in Feudum , & conceſſione in quartam manum Vinta tranſit ; quia ſervi , & ſervæ plures concedebantur in Feudum , & a Pathã , & ab aliis hac in provincia , & forte ipſa Vinta inter ſervos in Feudum conceſſos connumerabatur ; & ideo eodem modo , & titulo libertate donabatur . Niſi affirmare velimus , ſervos proprios , & , ut ita dicam , Allodiales , manumitti in quartam manum per donationem conſueviſſe in Forojulio ; & ſervos in Feudum receptos in quartam manum hoc eodem Feudi titulo libertatem acquiſiviſſe , fuiſſe in more .

VII.

De Servis Piſcatoribus .

Antequam manum de Tabula detraham , juvat de alia ſervorum ſpecie , vere et proprie Forojulienſium , mentionem facere , de quibus nullibi verbum , quod ſciam . Ii ſunt ſervi *Piſcatores* , quorum non aliunde notitia mihi contigit , quam ex Theſauro noſtro

ſtro Aquilejenſi, ubi pag. 152. hæc leguntur: *Item* MCCLXII. *D. Valleſius Capitaneus Glemonæ nuncius ad hoc conſtitutus per D. Henricum de Glemona filium q. D. Matthiæ pro ſe, & Vuolvingo fratre ipsius D. Henrici, refutavit, & dedit D. Pathæ Gregorio Ægidium Piſcatorem de Ales, & Radiminum filium ejus, atque Julianum, Candidum, Benvenutum, Vidam, & Vovitam, Famulos, & Famulas dicti D. Henrici, & Volvingi*. Sed cujus generis ſervi iſti Piſcatores; & cur Domino Patriarchæ refutati? Vox hæc *refutavit* mihi ſervi Feudalis injicit conjecturam. Volfkerus Patha anno MCCXII. D. Ottoni de Glemona Lacum de Cavaz ad rectum Feudum conceſſit, certis conditionibus, & pactis, & quia D. Otto permutationis nomine eidem Pathæ dederat Manſos apud Caſtrum Pregrat, & quicquid in Caſtro Tiven habebat, tam Terram, quam Maſnatam; ut ex eodem Theſauro pag. 82. conſtat. Forte cum Lacu conceſſit Volfkerus etiam ſervos *Piſcatores* in Feudum; eos etenim eidem Pathæ *refutat*? Non inveriſimilis, nec, ut mihi videtur, inconveniens opinatio.

An vero inter ſervos recenſendi ſint quidam *Operarii*, qui a Patriarchis, ut alia, in Feudum pariter Vaſſallis ſuis concedebantur? mihi hæret aqua. Horum operariorum Feudalium non rara mentio eſt in Theſauro Aquilejenſi, & adhuc quibuſdam Feudis noſtris Forojulienſibus Operarii iſti adhærent; Et, ne longius abeam, mea Familia ſeptuaginta hujuſmodi annalium operarum, vel operariorum jus poſſidet, conceſſum alias meis Anteceſſoribus a Principe una cum Dominio, & juriſdictione Feudi noſtri Villefreddæ; quæ Operæ quotannis ab habitantibus præſtantur ad libitum. Locum Theſauri pag. 73. profero, ut, ſi me perſpicaciores, & ingenio meliores aliquid certi inde expiſcare valeant, aliquando producant:

MCCLXXV.

MCCLXXV. *D. Warnerius q. D. Mathiæ de Maniaco pro ſe &c. confeſſus fuit habere ab eccleſia Aquilegenſi ad rectum & legale Feudum decem Manſos &c. &* XXIIII. *Operarios in eadem villa Maniaci. Salvo &c.*

VIII.

Quando Servi deſierint.

Hæc habui ad manus, quæ de Servis medii ævi in Forojulio curſim effunderem. Supereſt, ut brevi manu inquiramus, quo ſæculo hujuſcemodi ſervi hac in provincia eſſe deſierint. Vergerius in vita Ubertini Carrarienſis, Tom. XVI. Rer. Italic. Script. col. 171. circa annum 1340. hæc habet: *Longettus erat hereditarius ſervus, & ſemper una nutritus; nam uſque ad ea tempora propagandorum ſervorum mos in Italia manſerat, qui nunc prorſus abolevit.* Florebat Vergerius ſæculo XV. Muratorius in laudata XIII. Diſſertatione ita ſcribit poſt aliquas non deciſivas auctoritates adlatas: *Uno verbo, ſæculo Chriſti* XI. *&* XII. *rareſcere cœpit ſervorum numerus; rariores fuere quoque ſæculo* XIII. *ac tandem ſæculo* XIIII. *pene apud omnes Chriſtianos obſolevit eorum uſus.* Non ita eveniſſe tamen hac in noſtra Forojulienſi provincia ex Documentis autographis affirmare poſſumus; perduraſſe enim ſervos hic etiam ſæculo XV. argumenta ſunt ad manus. Cum equidem, ut ſuperius obſervavimus, anno 1393 pacta de ſervis communibus inter Dominos inirentur ad dividendam omnem utilitatem, & lucrum ex ipſis, tam in liberis, & deſcendentibus impoſterum proveniens, quam induſtria, & opera manuali, ſuccedente tempore, partum in peculio, & in Terris, continuaſſe etiam ſæculo XV. ſervorum jugum, fateamur neceſſe eſt. Cum autem Manumiſſiones adhuc medio ſæculo eodem XV. peragerentur, res extra aleam & dubitationem poſita eſt; nec hiſcere contra quiſque, ne ver-

verbum quidem, poteſt. Unam igitur producam anno 1440. confectam, ſeu verius oblationem tunc eccleſiæ Aquilejenſi de ſervis Manumiſſis factam, quæ idem valet. Adeſt ipſa in meis Apogr. n. 884. deſcripta ex Notis Dominici Not. de Glemona, & Cancellarii Aquilejenſis.

Oblatio Dñæ Heraſmæ ſervæ de Maſnata Manumiſſæ Eccleſiæ Aquilejenſi, facta per Nuncium Dnārum Stellæ & Antoniæ de Caſtello. Anno 1440.

„ Anno Dñi Mccccxl. Ind. III. Die vero VIII. „ menſis Septembris. Acta ſunt hec ante Altare Majus S. Aquilegen. eccleſie. Pñs ibidem Ven. Viris „ Dñis Pſbyteris Petro de Monopoli Manſionario „ Aquilegen. Marino Vicario in Porpeto, Tonſo „ q. Petri Clerico habitante in Aquilegia, Dominico „ q. Zanini de Cervignano, ac Bertrando q. Martini de Carlino, teſt. &c. *Providus vir Dominicus* „ *de Porpeto* Utini habitator q. Dominici de Porpeto *Nuncius* datus per *Nob. D. Stellam q. nob. olim* „ *Viri Artichi de Caſtello, & per Circumſpectum* „ *Virum Federicum de Valentinis de Utino* procur. „ D. Antonie q. prefati Artichi de Caſtello &c. „ ad preſentandum & *offerendum ad Altare Majus* „ *eccleſie Aquilegen. Providam Dnam Heraſmam* „ *q. Nicolai de Ontognano* cum omnibus ſuis liberis „ maſculis & feminis, tam natis quam naſcituris, „ *olim ſervam & feminam de Maſnata Dominarum* „ *ſupranominatarum*, nec non *Manumiſſam* ab eis, & „ plene traditam libertati, prout de dictis Commiſſione ſive Mandato, & Manumiſſione patet „ publico inſtrumento ſuper inde confecto manu „ Providi viri Petri Not. de Utino nati Egr. Magiſtri „ Johannis de Fabriano Artium & Medicine Doctoris „ ſub MCCCCXXXVIIII. Ind. II. Die Martis XXIIII.

„ menſis Novembris per me Not. infrtum viſo & le-
„ cto &c. *Prefatam D. Heraſmam cum omnibus ſuis liberis manumiſſam preſentavit & obtulit ſuper Altare majus Eccleſie Aquilegen. ipſos ducendo trina vice circa altare prediƈtum in ſignum vere & plenarie libertatis*, adhibitis ſolemnitatibus & cerimoniis conſuetis in talibus obſervari. Promiſeruntque prefata Heraſma & filii ſuper ipſo Altari, per me inſtum Not. delato eis & ipſorum cuilibet *ſacramento*, *jurarunt*, ſe cum tota eorum preſenti & futura progenie ſemper eſſe legales & fideles Dño Patriarche, ſuiſque futuris ſucceſſoribus, & quod ſi ſenſerint tempore aliquo machinationem aliquam ſeu contractum fieri contra Eccleſiam Aquilegen. ſeu D. Patriarcham, poſſe tenus revelabunt. De quibus rogatus fui ego inſstus pub conficere inſtum.

Ad hæc ſtatutum noſtrum Forojulienſe antiquius, ſive leges Patriæ Municipales, in meliorem formam redactæ, Locumtenente Generali Patriæ Forijulii Marco Dandulo, & ejus juſſu editæ, promulgatæ anno 1429. 20. Auguſti, adhuc binas Leges, ſeu Rubricas jam memoratas ſervant: *De nato ex libero ventre pro libero reputando, & econtra*; Et *De ſervo communi Manumiſſo*, quæ notantur numeris CLXXVI. & CLXXVII., quod equidem earum Legum Reformatores non feciſſent, ſi adhuc ſervitus in Patria non viguiſſet; ea namque deficiente, & ad interitum deleta, expungendæ erant hæ Leges, & antiquis noſtris amandandæ. Cum autem eædem Leges ſub iiſdem Rubricis quoque retentæ ſint, & editæ iterum anno 1484. Utini typis Gherardi de Flandria, vulgari idiomate docto noſtro Petro Hædo Portunaonio donatæ; neminem negare poſſe, cenſeo, ſaltem aliquas ſervorum reliquias ſæculo XV. cadente in Forojulio adhuc ſuperſtites fuiſſe. Quod nemini mirum videri debet; cum ſciant, hanc

hanc noſtram Provinciam ſemper antiquorum morum retinentem admodum fuiſſe, & ultimam ex Italicis Langobardorum mores quoſdam, & conſuetudines exuiſſe. L. D. V. M.

FINIS.

MAG 2022305

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google